Jos. Foerstemann

Diss. Halle
1864.

DE DIALECTO HESIODEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

ACAD. LUGDBAT. BIBL.

CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIV. M. AUG. MDCCCLXIII HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOSEPHUS FOERSTEMANN

HALENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

BERTHOLDUS DELBRÜCK, DR. PHIL.

M. BEHEIM-SCHWARZBACH, CAND. PHIL.

[Diss. Halle]

HALIS SAXONUM

TYPIS EXPRESSUM ORPHANOTROPHEI.

[1864]

[illegible]

[illegible]

Si quis Homeri carmina et ea, quae sub Hesiodi nomine nobis tradita sunt, inter se comparabit, primo obtutu animadvertet, quantopere illi poetae ut omnino in carminum argumentis sic etiam in ingenio et poeseos genere inter se differant. De dialecto quoque inter eos discrimen intercedere nemo est qui neget. Sed haec diversitas quam late pateat et quibus finibus contineatur, in disceptationem nondum vocatum est; quae enim Goettlingius in praefatione hac de re profert, perpauca sunt, et Meyer Isler quoque in „Quaestionum Hesiodearum specimine" (Berol. 1830) tantum ea composuit, quae maxime conspicua sunt. Itaque operae pretium esse mihi videtur, paullo accuratius in Hesiodi dialectum inquirere, praesertim quum eius carmina inter vetustissima litterarum Graecarum monumenta sint, quae aetatem tulerunt.

Sed aliam quoque ob causam disquisitionem de Hesiodei sermonis differentiis non supervacaneam esse existimo. Iam enim veteres nequaquam omnia illa carmina, quae ad Hesiodi nomen referuntur, huic poetae tribuisse satis notum est; quin etiam tantum Opera et dies Boeotos pro carmine vere Hesiodeo habuisse Pausanias nobis tradit. Quapropter si singula carmina de dialecto accurate inter se comparabimus, verisimile est nonnulla inventum iri, in quibus illa inter se discrepent. Quamquam negari non potest, quasdam sermonis differentias ex argumentorum diversitate et ipsa carminis conditione pendere et ex hac re sola explicandas esse, ita ut inde concludere non liceat. Neque minus concedendum est, in dialecti discriminibus investigandis difficultatem haud parvam ex eo oriri, quod carminum omnium ambitus valde exiguus est. Sed tamen sperandum est, fore ut si quis de metricis quoque rationibus et de elocutione diligenter quaesiverit, etiam dialecticae differentiae aliquid afferre possint ad quaestionem quae est de Hesiodeorum carminum conditione recte diiudicandam. [1])

1) Hic mihi liceat nonnulla breviter attingere, quae hanc opinionem confirmare videantur, etiam in re metrica carmina inter se discrepare. Ejusmodi versus, qui in pede quinto contrahunt, in Sc. omnium versuum partem decimam efficiunt, in Th. autem et in Op.,

I. De digammate.

Difficilem et longam quaestionem de digammate hoc modo angustioribus finibus circumscribam, ut tantum de iis vocibus dicam, in quibus ex hiatu secundum normas a Hoffmanno [1]) statutas vere illicito satis probabiliter de illa littera concludi possit Quarum numerus etiamsi exiguus est, tamen nonnulla praebent commemoratu digna.

Initium capiam a pronomine personali *οἷ*. Praeter permultos locos qui huius pronominis digamma comprobant, unus invenitur qui repugnet: *οὐ γάϱ οἱ*, Op. 526. Quamquam enim vulgo breves syllabae in consonam cadentes initiali vocis insequentis digammate non producuntur, [2]) tamen in pronomine *οἷ* et in vocibus ad stirpem *ϝιδ* pertinentibus littera illa positionem efficit. Itaque Hermannus *οὐδέ οἱ* scribi vult. Sed quamvis cum Goettlingio concedendum sit, correptam *γάϱ* syllabam ante *οἱ* indicium esse serioris aetatis, tamen Hermanni sententia refellenda esse mihi videtur. Primum enim quum hiatus in voce *οἷ* apud epicos usitatissimus sit, difficilius esset intelligere, cur librarii hoc loco ita in eo offendissent, ut verba mutanda esse putarent. Deinde si ex usu Hesiodeo aliquid concludere volumus, haud dubie hac in re Theog. et Scuti ratio habenda non est; in Op. autem ne unum quidem exemplum extat, quo pronomini *οἷ* digamma tribuendum esse certo demonstretur. Sin tantum propterea quod in Homeri carminibus illius vocis digam-

---

in quibus multo rariores sunt, tantum quintam decimam. Praeterea quum in Theogonia et in Scuto sicut in Iliadis libro primo (cf. Rossbach, Griech. Metrik pag. 21) inter omnia hexametri genera ii versus frequentissimi sint, qui ubique meros dactylos praebent, in Operibus res aliter se habet. Hic enim sexaginta quattuor ejusmodi versus inveniuntur, eorum autem qui uno spondeo instructi sunt idque in secundo pede, octoginta tria exempla deprehendimus. Etiam in diversis versuum spondiacorum generibus discrimina statui possunt. Velut versus in primo et tertio pede contractionem passi in omnibus Hesiodi carminibus magis frequentantur quam in prima Iliadis rhapsodia, praecipue in Theog., in qua pro ratione altero tanto saepius extant quam illic. Versus qui spondeum modo in primo pede habeant, inter centenos versus in Iliadis libro primo reperis sedecim, tredecim in Theog., decem in Scuto, novem in Operibus. Ex rarioribus versuum spondiacorum generibus ii, in quibus pes tertius et quartus contrahunt, in illo Iliadis libro omnino ter comparent; contra Theog. undecim hujusmodi exempla suppeditat, Op. decem, Scutum, quamvis est carmen dimidio brevius, etiam novem.

1) In quaestionum Homer. parte I.

2) Hoffmann, II, pag. 68.

ma certissimum est, nostrum locum ferri non posse putas, vereor ne in errore verseris. Nam si omnino Hesiodei sermonis norma aliunde quam ex ipso Hesiodo cognosci possit, quod Schoemannus [1]) recte negare mihi videtur, de digammate ex Homerico eius usu concludere vix liceat. Hoc enim posito, Hesiodum et Homerum eodem tempore vixisse, tamen ea in re difficultas haud parva inesset, quod non alter alterius popularis est. Sine dubio digamma non in omnibus Graeciae partibus plane eodem tempore evanuisse sumendum est; itaque in duobus aequalibus ad illa tempora referendis, qui non ejusdem civitatis vel terrae sunt, digammatis conditio eadem sit minime necesse est. — Accusativus vero pronominis personalis ἕ, in Op. quoque digammate instructus est, velut v. 268.

Aoristi εἶδον formae a vocali ι inchoantes solum in Th. et in Sc. exempla suppeditant, quae digamma demonstrent. In Op. autem duo extant loci, in quibus illa littera iam evanuit, ἀμφὶς ἰδών Op. 701 et εὖξῃ ἰδών ib. 738; quorum alter, Op. 701, cum eiusdem carminis v. 268 supra commemorato comparandus est. Quae vero in aliis carminibus invenis exempla digamma negligentia (Th. 701. 451, Sc. 335) non magni momenti sunt propter ν paragogicum.

Οἶδα. Permulti loci digamma demonstrant. Atque eorum qui obstant plerique facillime sanantur. Nam Th. 264 pro ἔργ' εἰδυῖαι scribi potest ἔργα ἰδυῖαι et pro λύγῳ εἰδυῖαν Th. 313 λύγα ἰδυῖαν, quod Lennepius antiquitus scriptum fuisse opinatur. Op. 824 simpliciter particula τέ ejecta offensio tollitur, et ibid. 456 iam Hermannus pro τόγ' οἰδ' proposuit τὸ οἰδ'; Th. 352 autem sine dubio scriptura Ἰδυῖα a Lennepio recepta praeferenda est. Itaque restat unus locus, Th. 370, ubi ante ἴσασιν diphthongus οι corripitur; quamqam hic quoque facile emendatur, si cum Eustathio (ad Dionys. Perieg. v. 644) ἕκαστα scribimus a Lennepio comprobatum et in sensum bene quadrans.

In voce ἔργον et similibus mirum est Hesiodum digamma persaepe neglexisse. Nam quum in Iliade huius rei exempla plerumque facili mutatione sanentur, [2]) in nostro poeta aliquoties quidem idem fieri potest (Op. 309 et 578 particulae τέ eiectio ultro se nobis offert, ib. 623 et 454 fortasse δέ omittere possumus, sicut ib. 312 v. paragogicum vocis κέν), sed permulti restant loci, in quos facilis illa emendandi ratio non

1) Opuscul. acad. tom. II. pag. 448.

2) Cf. Hoffmann. Quaest. Hom. §. 203.

cadit. [1]) Ceterum commemorandum est, ad Sc. eorum nullum pertinere. — E contrario multa exempla quae hiatum aut vocalis finalis productionem in arsi ante ἔργον praebent (Op. 397. 641, Sc. 244), propterea nihil demonstrant, quod hiatus aut productiones etiam sine digammate satis habent excusationis. Eandem ob causam inter tres illos locos, in quibus vocalis finalis in thesi producitur tantum ex uno, Op. 382 καὶ ἔργον, concludere licet; nam et ἔργῳ ἐργάζεσθαι v. 382 et οὔπω ἐργ' v. 521 offendere non possunt, quum alterum productionem habeat in thesi prima, alterum in thesi quarta sequente caesura bucolica. [2]) Praeterea tres illi loci pro spuriis habentur. — His igitur missis, in Th. et in Sc. restant seni loci, quinque in Op., qui digamma demonstrent. [3])

Ἄναξ, ἀνάσσω. In Sc. semel hiatus reperitur, ex quo de digammate concludi possit, quum non aliis causis excusetur: ἐς Κήϋκα ἄναχτα, v. 354. Contra duo eiusdem carminis loci digammati repugnantes, v. 328 et 226, nihil valent propterea quod ν paragogicum hac in re nullius momenti est. Aliter res se habet in Theog.: quum hic tria exempla conspiciantur, quae hiatu illicito digammatis indicium praebeant, altera ex parte loci non desunt qui obstent: Th. 486 μέγ' ἄναχτι, 543 ἀριδείκετ' ἀνάχτων. Contra eos autem, qui huiusmodi differentiam in uno eodemque carmine et in altero exemplo insolitam quoque adverbii cum substantivo coniunctionem ferri non posse existimant, poeta recte a Schoemanno defenditur (Opusc. acad. II. p. 436. 447).

In vocibus εἶπεῖν, ἔπος praeter hiatum in ἄρμενα εἶπεν Sc. 116, et particulae καί productionem ante εἴπατε Th. 115 ad summum Op. 403 nonnihil valet ad digamma demonstrandum. Tertiae enim personae pass. terminatio ται in arsi praeterquam in illo loco semel tantummodo producitur, idque insequente in-

---

1) Ante ἔργον et voces sim. ἀπό eliditur Op. 28 (ubi Bentleius offensionis effugiendae causa ἄεργον scribit), ἐπί Th. 146. Op. 801; reliqua vero elisionis exempla haec sunt: δ' ἔργα Op. 306, τ' ἔργοιο ib. 578, αἴτ' ἔργ' Th. 903, ὧδ' ἔρδειν in Op. ter, οὐδ' ἔρδειν Op. 136, τοῦτ' ἔρδοις ib. 362, δ' ἔρδειν ib. 336. Longae vocalis aut diphthongi correptio in thesi ante illas voces modo in Op. comparet, ibique non raro: τὼ ἐργάζεσθαι v. 438, ἥσυχοι ἔργ' 119; cf. 409. 412. 579. 710.

2) Cf. Hoffmann. Quaest. Hom. §. 47.

3) Th. 158. 166. 172. 710. 836. 954; Sc. 22. 38. 34. 165. 297. 313; O. 124. 238. 254. 440. 779.

4) Th. 403 ἠδὲ ἀνάσσει, 883 ἠδὲ ἀνάσσειν, 985 Ἡμαθίωνα ἄναχτα.

terpunctione: Th. 753. [1]) Nonnulli autem loci qui ad Th. et ad Sc. pertinent, propter elisionem a digammate abhorrent: *τοῦ δ' ἔπε'* Th. 84, *ὄφρ' εἴπω* ib. 645, *θαρσύνουσ' ἔπεα* Sc. 326, *ἰδοῦσ' ἔπεα* ib. 445.

Οἶκος simm. In Op., ubi huiusmodi voces frequenter in usum veniunt, satis multa exempla legimus, quae aut digamma demonstrent [2]) aut saltem ei non obstent; tantum in uno deprehendimus digamma neglectum, Op. 632, ubi *ἵνα* ante *οἴκαδε* eliditur (Heinrichius haec verba mutat in *ἐντύναθ', ἵνα οἴκαδε*). In iis locis aliunde petitis, quorum hic ratio ducenda est, item elisio comparet: *ὅγ' οἰκείων* Th. 330, *δι' οἴκου* fgm. 174, 1.

De digammate initiali vocis *οἶνος* concludere licet ex Op. 724 (*αἰθοπα οἶνον*) et ex Op. 585 (*καὶ οἶνος*), quum hic et particulae *καί* productio in thesi offendat neque metro hiatus excusetur, si digamma illis in locis non sumimus. Unum solummodo exemplum ab hac littera abhorret, idque in Op., v. 744, ubi elisio admissa est: *Μηδέ ποτ' οἰνοχόην.* [3])

In substantivo *ἦθος* quoque Operum auctor sibi non constat: digamma demonstratur v. 699 hiatu in *ἵνα ἤθεα* et v. 167. 222 particulae *καί* productione (item Th. 66. 525), evanuit autem in uno loco, Op. 137, ubi vox antecedens elisione afficitur, (*κατ' ἤθεα*). In Iliade quoque duo similia exempla extant, 6,511 et 15,268; atque ut illic Hoffmannus offensionem ita tollendam putat ut *τέ* eiiciatur, sic apud Hesiodum Bentleius legi vult *ἀνθρώποις κατὰ ἤθεα.*

Ex verbi *ἀνδάνω* formis nihil usurpatur nisi *ἄδον*, idque in duobus locis. Quorum in altero, Th. 917, codices quidem omnes tradunt *τῇσιν ἄδον*, sed quum v. 926 habeamus *κέλαδοί τε ἄδον*, Goettlingius et Lennepius scribunt *τῇσι ἄδον*; quamquam v. 926 digammatis ope non indiget propterea, quod hiatus in pedis tertii caesura trochaica satis excusatur. Neque vero maiore probabilitate in Iliade huius vocis digamma demonstrari potest (cf. Hoffmann §. 111, 1).

Ἔλπομαι simm. In *ἔολπα* alter Operum locus nullum praebet digammatis indicium (v. 273, *οὔπω ἔολπα*), ex altero (v. 475 *σε ἔολπα*) propter hiatum prorsus illicitum de illa littera concludi licet. Certius aliquid de vocibus a radice *ἐλπ*

---

1) Huiusmodi productio apud Homerum quoque rarissima est, (cf. Hoffm. l. l. §. 58, 2). — Item in infin. act. et. pass. *αι* perraro in arsi producitur: Th. 604. Op. 410. 539, Sc. 336.

2) Cf. v. 150. 244. 325. 627. 576.

3) Haec facile mutari possint in *μή ποτε οἰνοχόην.*

derivatis ex Hesiodi carminibus erui non potest, quum praeter duos illos locos omnia earum exempla ita usurpentur, ut omnino in quaestione de digammate eorum ratio habenda non sit.

Ἠχώ et simm. in iis Theogoniae locis qui huc pertinent, digammate non utuntur; v. 835 enim elisio admissa est ante ἤχεεν, v. 767 in δόμοι diphthongus οι ante ἠχήεντες corripitur, Th. 42. autem diphthongi η productio iam ex arsi satis explicatur. Contra in Scuto hae voces digammate instructae esse videntur,[1]) sicut in unico Operum exemplo quod hac in re respiciendum sit, v. 582, quum hic minus apte particulae καί productio statueretur; caesura bucolica enim hoc loco sumi non potest propterea quod omnino καί caesuram non efficit (cf. Hoffmann. l. l. §. 6).

Ἴφθιμος simm. Adiectivo ἴφθιμος in Homero digamma tribuendum non esse Hoffmannus l. l. §. 127 exponit. Idem de Hesiodo valet; certe ii loci, qui hac in quaestione aliquid valeant, omnes illam sententiam confirmant. Nam Th. 698 et Op. 704 καί corripitur, et Sc. 136 ἐπί elisionem patitur ante ἴφθιμος. — Eodem modo res se habet de voce ἴς, quum Th. 332 hiatus nullius momenti sit; propter encliticam enim particulam caesurae trochaicae locus non est, ita ut hiatus in fine pedis illicitus non sit. (Cf. Hoffmann l. l. §. 66. c.). De ἶφι ex Hesiodeis exemplis concludere non licet: Sc. 11 ἀπέκτανεν ἶφι facillime in ἀπέκτανε ἶφι mutari potest, et Op. 541 diphthongi finalis οι productio satis excusatur. Ex aliis denique vocibus, quae ad eandem radicem referendae esse videntur, Ἰφικλείδης Sc. 111 et Ἴφιτος fgm. 70, 4 digammate non utuntur propter elisionem; Sc. 54 autem in Ἰφικλῆ fortasse melius illam litteram sumimus ad explicandam syllabae αϱ productionem in thesi.

Vocem ἰωή tantum semel reperis, Th. 682, ubi omnes codices ποδῶν αἰπεῖα τ' ἰωή exhibent. Quum autem apud Homerum illa digammate instructa sit, Lennepius et Goettlingius facilem Hermanni mutationem comprobantes ποδῶν τ' αἰπεῖα ἰωή in textum receperunt.

De ἰάχω et similibus poeta ab usu Homerico non recedit. Nam inter quinque exempla Hesiodea quattuor praebent elisionem: Th. 708, Sc. 436, Sc. 382, Th. 69 (in ultimo et penultimo praeterea vocalis ι productio digammati repugnaret). Itaque in quinto, Sc. 451 μέγα ἰάχων, aut hiatus illicitus agnoscendus est aut cum Hoffmanno[2]) explicatio ita paranda, ut

1) Cf. v. 279 ἄγνυτο ἠχώ; v. 438 τε ἠχῇ.

2) Quaestt. Hom. §. 171.

dicatur hanc formulam a poeta receptam esse ex temporibus antiquis, quibus digamma in hac voce adhuc valebat.

Eodem modo quo de *μέγα ἰάχων*, res se habet de *θυγατέρα ἦν*, Th. 819, et de *πατέρα ὅν* Sc. 59. — De *Ἶρις* cui Hoffmannus digamma non tribuit, quum hiatum in *ὠκέα Ἶρις* ex formula antiqua explicet, nihil novi ex Hesiodo afferri potest. Nam praeter *ὠκέα Ἶρις*, Th. 780, reperimus *Ζεὺς δέ τε Ἶριν* quod nihil demonstrat, quum hiatus in pedis primi fine satis habeat excusationis, atque *τέκεν Ἶριν*, Th. 266, quod propter *ν* paragogicum non maioris momenti est [1]) —

Superest ut conspicuam formam *καυάξαις* Hesiodo propriam (Op. 666, 693) commemorem, quae digammate aptissimam habet explicationem. In verbo *ἄγνυμι* enim cum *κατά* composito ex *καταϝάξαις* eodem modo quo *καββάλλω* ex *καιβάλλω*, fit *καϝϝάξαις*; cuius formae duplex digamma quum minus facile negligi posset, haud dubie diu servatum est et postremo in litteram *υ* transiit.

II. De elisione.

De vocali *α* saepissime elisionem patiente nihil commemorandum est.

Vocalis *ε* duae elisiones inveniuntur ab Homerico usu alienae, quarum utraque in Sc. extat: *ἰδέ* amittit vocalem v. 185, *ἔραζε* bis eliditur, v. 174 et 268.

Vocalis *ι* elisae exemplum dativus sing. tertiae declin. apud Hesiodum nullum suppeditat, perpauca dativus plur. Ex quibus ad Op. pertinent *κτήμασ' ἔπ' ἀλλοτρίοις* v. 34 et *Ἑλικωνιάδεσσ' ἀνέθηκα* v. 658; ex Th. autem modo unum afferri potest: *πόσσ' ἀπαλοῖσιν* v. 3. In unico Sc. exemplo, *πόσ' εὐρεῖα χθών*, v. 373, editores valde offenderunt, quum *ποσί* non elidatur nisi consona *σ* duplicata. Itaque Goettlingius *πόσ'* pro *πόσα* dictum esse putat; hoc vero Rankius minus comprobat, cui Heinrichii sententia non displicet, dativo *ποσί* hunc locum carere non posse. Hermannus scribendum existimat *καναϝ-*

1) Si ex omnibus hiatus post vocales breves obvii exemplis ea mittimus, quae aut ex natura vocalis finalis aut ex ratione metrica aut ex vocis sequentis digammate initiali excusationem habent, perpauca restant, in quibus hiatus vere illicitus agnoscendus sit. Quorum ne unum quidem ad Sc. pertinet; ad Th. autem *δῶρα ἔδωκεν* v. 399, *τε ἔτικτε* v. 1014, *ὅτε οὐκ* 446, *ἄνδρα ἐνισπεῖν* 369; ad Op. *νῶτα ἔαγε* v. 534, *τε ἄλλον* 713, *εἰς ὦπα ἔϊσκειν* 62, *αἶγα ἄῃσι* 516, *τε ἄνδρες* 586.

χὴν ἔχεν εὐρεῖα χθών, Lennepio lenissima ratio corrigendi locum videtur κανάχίζ' εὐρεῖα ποσὶ χθών. Attamen omnino mutatione opus non esse puto, quum recte Rankius hoc contendere mihi videatur, et miram verborum collocationem et vocis elisionem poetae esse concedendam. — Dativus σφί aliquoties in Sc. et fgm. 206, 2 elisione afficitur. Atque vocalis ι in verborum terminationibus elisae exempla omnia carmina praebent.[1]) — In περίαχε autem (Th. 678) et in περοίχεται (ib. v. 733), quae a nonnullis ad elisionem referuntur, melius apocope Aeolensibus usitata agnosci videtur.

Diphthongi αι elisionem tantum in Op. reperis, sed hic quoque haud frequenter. Et quidem in tertia pers. sing. aliquoties comparet: in γηρύετ ἀνθρώπων v. 260, καταχεύετ' ἀοιδήν 583, ληΐζετ' ἄμεινον 702, ἥγῆτ' ἐς φιλότητα 712; in infinit. autem tantum bis: ἄρχεσθ' ἀμητοῦ 384 et ἄγεσθ' εἰς οἶκον 800.

III. De crasi.

Ex paucis eius exemplis Hesiodeis unum in Sc. extat, v. 312, ubi, sicut saepius apud Homerum, praepositionis πρό vocalis cum augmento syllabico coalescit. Plurima vero Op. suppeditant: quorum unum, τοὔνεκα (v. 49), ab illo quoque frequentatur, κἀκεῖνος autem (v. 295) et κἄν (357) in Homeri carminibus deleta sunt, vocibus ἐκεῖνος et κέν receptis; quartum denique ab eius dialecto alienum est: τὠμισυ v. 559. Item unicum exemplum quod Theog. praebeat: χὠ v. 284.

IV. De prima declinatione.

Terminationes numeri singularis pro vocali ᾱ vulgo assumunt η. Quam mutationem etiam apud Hesiodum non subeunt θεά[2]), Αἰνείας, Ἑρμείας; forma Ἑρμείην enim Op. 68 tantum in uno codice legitur. Contra duo dativi Μελιβοίᾳ fgm. 134 et μανίᾳ fgm. 199 servata vocali ᾱ ab usu Homerico recedunt; sed uterque non magni momenti est propter scripturae fidem suspectam. Interdum sicut apud Homerum η pro α brevi poni-

1) Legimus ἐθέλησ' Op. 268, ναιετάουσ' 389, φρίσσουσ' 512, ἴσχωσ' 625; καλέουσ' Th. 187, καίουσ' 557, εἰσ' 972; δύνουσ' Sc. 151; ἐστί cliditur Th. 386. 720. 869. Sc. 85. Op. 754, fgm. 170, 1. Terminatio μι vocalem amittit in αἴνημ', Op. 683, imperativi syllaba finalis θι in τέτλαθ' ib. 718.

2) In compositione vocalis η comparet Th. 247, Πασιθέη.

tur; cuius rei exempla nomina in εια ab adiectivis in ής exeuntibus profecta duobus tantummodo locis praebent, eaque in Op.: ἀναιδείη[1]) v. 324, ἀληθείην v. 768. Ex parvo autem numero eorum nominum in οια, quae in Homeri carminibus α producunt et in η transmutant, hic nihil afferendum est nisi Τροίην (Op. 165. 653). Contra vocalis α correptio, quam nonnulli Th. 453 in nomine proprio Ῥεία statuunt, non satis confirmata est; melius enim illo loco cum Mützellio et Lennepio scribi videtur Ῥείη δ'αὖ δμηθεῖσα, quod etiam codicum auctoritate sustentatur. — Inter nomina in ια bisyllaba, quae vulgo brevi α utuntur, adiectivi δῖος nominativus fem. Th. 260 habet vocalem longam, η, quum aliis locis vulgarem consuetudinem sequatur; μία, cuius ᾰ apud epicos posteriores interdum producitur, apud nostrum brevem vocalem ubique conservat. Ex huiusmodi nominibus plures syllabas habentibus Πολύμνια Th. 78 sicut vulgatum πότνια contra legem communem vocalem α corripit. Nominativus Μαίη (Th. 938) propterea notandus est, quod nomina bisyllaba in αια apud epicos poetas ubique brevem α tenent, velut γαῖα, αἶα, Τροαῖα; forma iusta Μαῖα in hymn. in Merc. ter reperitur et etiam a grammaticis sustentatur.

Masculinorum genitivus epicus in αο in omnibus Hesiodi carminibus in usum venit[2]); sed inter nomina quae illam terminationem accipiunt, tantum duo extant, in quibus stirps in vocalem desinat: φλεγύαο et Βορέαο. Contra genitivi in εω omnino rariores sunt et solum in Th. et Op. comparent. Ἀΐδεω in Th. bis scriptum est (v. 311. 768), quum in Op. inveniatur genitivus Ἀΐδαο (in Sc. Ἄϊδος solum regnat); Αἰήτεω extat Th. 994 plurimorum codicum auctoritate confirmatum[3]). Praeterea legimus Κρονίδεω in utroque carmine, ἐριβρύχεω et Ἀργέστεω in Th., ἀβούτεω in Op. Genitivus Βορέω (Th. 870) huc non pertinet; melius enim hanc formam ii explicant, qui vocalem ω hic ex αο contractam esse volunt, quam qui elisionem vocalis ε in forma Βορέεω statuunt.

Neque plura genitivi plur. in εων exempla afferri possunt: ex Th. ἀπασέων, Νυμφέων, πυλέων (versus 828, in quo πασέων et κεφαλέων legitur, spurius esse videtur; δυςφρονέων

---

1) Huius nominis vocalis longa etiam in ἀναιδείηφι conspicitur, Op. 359.

2) Βαθυῤῥείταο, Αἰήταο, Ὑπεριονίδαο in Th.; ἑκατηβελέταο, Ἀλκείδαο in Sc.; Ἄϊδαο, Οἰδιπόδαο, Βορέαο in Op. (Βορέου legitur Op. 518. 553.); νεφεληγερέταο in Th. et Op., φλεγύαο in Sc. et fgm. 125, 3, Ναυβολίδαο fgm. 70, 6, Νηληϊάδαο fgm. 138, 2.

3) Alii exhibent Αἰήτεο, Αἰήτου, Αἰήταο.

vero (v. 102), quod G. Dindorfius genitivum plur. nominis *δυσφρόνη* esse putat, etiam pro participio verbi *δυσφρονέω* haberi potest); ex Sc. commemoranda sunt *αὐτέων*, *εὐχωλέων*, *βαινουσέων*, *πυλέων*, ex Op. *ἀγορέων* et *οἰνέων*. Ceterum in omnibus illis formis *εω* per synizesin proferendum est, praeterquam in *πυλέων* Sc. 246.

Rarissime in universum genitivi pl. vulgari modo ita formantur, ut vocalis *α* cum terminationis vocali *ω* coalescat in *ω*; in Th. enim solum *νισσομένων*, *τῶν*, *τῶνδε* huius formationis exempla suppeditant, in Op. tantum *σκολίων* et *δικῶν*. Sc. autem hac in re a reliquis carminibus differt; illic enim eiusmodi formae pro ratione haud rara sunt, quum sex inveniantur: *χλούνων*, *παρειῶν*, *δμωιῶν*, *λιγυρῶν*, *αὐτῶν*, *κυλινδομένων*. Ex fgmm. addendum est *μοιρῶν* (fgm. 173). Ex his igitur *μοιρῶν* et *δικῶν* regulam non sequuntur, quam Lobeckius statuit de usu Homerico Pathol. II, p. 96, ubi dicit, in substantivis primae decl. pure exeuntibus *ε* cum vocali finali contrahi, anteeunte consona Homerum *ε* per synizesin efferre Ibidem inter ea adiectiva oxytona quae non, sicut plurima huiusmodi adiectiva, in genit. pl. fem. accipiunt *ε* synizesi obscuratum, ipse Hesiodeum *σκολιῶν* profert; huic etiam *λιγυρῶν* et *αὐτῶν* addi possunt.

Doricam gen. pl. formationem sequuntur *μελιᾶν* Op. 145 et *θεᾶν* Th. 44; quorum alterum, *θεᾶν*, in dubium vocari potest, quum plerique codd. exhibeant *θεῶν*[1]). — Sc. 168 et 177 invenimus genitivum *χλούνων*, cuius accentus in syllaba penultima positus communi legi repugnat.

Dativi plur. terminatione *αισι* Th. et Sc. omnino caret; atque unicum exemplum quod sit in Op. (v. 230), non satis certum est, quum codices inter *ἰθυδίκαισι* et *ἰθυδίκῃσι* fluctuent, ita ut solum *Αἰακίδαισι* relinquatur, quod legitur in fgm. 222, 1. Terminatione *αις* autem, quam apud Homerum in *ἀκταῖς* et *θεαῖς* reperimus, Hesiodus saepius utitur, praecipue in Sc. In hoc enim conspicimus *ἀκταῖς* v. 213, *μελπομέναις* v. 206 (hoc loco unus codex exhibet *μελπομένῃς*, quod recepit Goettlingius), *παλύμαις* v. 219, *ἀγλαΐαις* v. 272, *ἀλλήλαις* v. 375; in Th. solum *ὑμνεύσαις* v. 70, *ἐχούσαις* v. 61, *αἷς* v. 215, et in fgmm. *εἰλαπίναις* (132, 4), *ἀπήναις* (189), *Ἀμαθαονίδαις* (222, 2); de omnibus vero exemplis in Op. obviis[2]) codices

1) Goettlingius *θεῶν* propterea cum Lennepio praefert.

2) *Λίκαις* (v. 36), *ἀθανάταις* (v. 62), *θεαῖς* (ibid.), *Μούσαις* (v. 658), quae a Goettl. in textum recepta sunt, et *ἀμαθίαις* (v. 134), *σκολιαῖς* (v. 221), *δίκαις* (ibid.) quibus ille alteras scripturas praetulit.

inter se discrepant. Plerique autem dativi pl. praebent terminationem *ῃσι*, quae in articuli femin. sola regnat. Multo rarius terminationem *ῆς* spectamus; certa enim eius exempla quae omnium codicum consensu nullam habeant dubitationem, in Th. inveniuntur circiter quinque, in Sc. duo, in Op. tantum tria[1]). Ceterum in Homeri carminibus fere omnes dativos in *ῃς* et *αις* terminatos voces sequuntur quae a vocali inchoent[2]); apud Hesiodum huiusmodi formae maximam partem voces antecedunt litteram consonam in fronte habentes.

Doriensium more in accusativi pl. terminatione vocalis *α* haud raro corripitur, velut Op. 564 et 663 *μετὰ τροπὰς ἠελίοιο*, Th. 401 *μεταναιέτας εἶναι*, Th. 60 *κοῦρας ὁμόφρονας*.[3]) Hanc correptionem regulam esse in prima decl. Hesiodea Meyer Isler contendit (Quaestion. Hesiod. pag. 7); in omnibus enim locis, quibus produci videatur accusativus, hoc aut positione aut per arsis vim factum esse. Sed tamen omnibus locis illud fieri dici non potest: obstat enim Th. 675 *πέτρας ἠλιβάτους*, quum ante *ἠλίβατος* non solum apud Homerum particula *τέ* saepius elisionem patiatur sed etiam apud ipsum Hesiodum syllaba *ται* corripiatur (Th. 786 *καταλείβεται ἠλιβάτοιο*) itaque in adiectivo *ἠλίβατος* digamma sumi non possit. Atque minime constat, in Sc. quoque illam correptionem esse agnoscendam; nam ex omnibus eius exemplis ne unum quidem ad Sc. pertinet, ita ut fortasse potius hac in re discrimen statuendum sit inter Sc. et reliqua carmina.

V. De secunda declinatione.

De numeri sing. casibus nihil commemorandum est, nisi quod etiam Hesiodus genitivum Thessalicum haud raro usurpat, sed tamen vulgarem genitivi terminationem *ου* multo magis frequentat; et quod vocativi *φίλος* exemplum apud hunc quoque poetam invenitur (Sc. 95). Notatu dignus est genitivus plur. in *αων* desinens (Sc. 7), de quo magna est virorum doctorum dissensio (cf. Ranke, pag. 122). Heinrichius et Wintertonus sumere non dubitabant, hic substantivum neutr. gen. cum ad-

1) Th. 791 (bis), 827, 860 (bis); Sc. 190, 295; Op. 231, 330. 479.

2) Cf. Thiersch. Gr. gr. §. 164. 5.

3) Reliqua exempla haec sunt: *βουλὰς* Th. 534. 653, *Ἁρπυιας* Th. 267, *δεινὰς* Op. 675, *εἰρέας* Th. 804, *Σκύθας* fgm. 190; pro *πᾶσας ἐθέξατο* (Th. 164), quod huc referri poterat, plurimi codd. habent *πάσας δέξατο*.

iectivo fem. gen. esse coniunctum. Cuius rei quum nullum omnino simile conspiciatur exemplum, facilius id comprobari potest quod statuerunt Apollonius, Herodianus, Eustathius, vocalem α tantum metri causa additam esse. Sed haec quoque sententia difficultate laborat, quum hoc in nomine neutr. gen. fieri potuisse nullo exemplo demonstretur, sicut ipse Goettlingius commemorat; genitivus ἐάων enim hac in re non magni momenti esse mihi videtur, quum nondum satis certo constet, quomodo haec forma explicanda sit. Itaque haud scio an aliorum sententia praeferenda sit, qui genitivum βλεφάρων hic non a βλέφαρον sed a feminino βλεφάρη derivandum esse putant, quod fortasse scriptura κνανέῃσιν ὑπο βλεφάροις in Ibyci fgm. 2 obvia sustentatur. — Quum in prima declinatione dativi plur. vocali ι carentes normae, quam Thierschius l. l. protulit de usu Homerico, obnitantur, in hac declinatione plerique dativi in οις terminati in Th. quidem et Sc. a vocibus excipiuntur, quae vocalem initialem habeant; in tertium autem carmen illud in secunda quoque declin. non cadit. — Accusativi plur. terminatio ος, qua etiam Theocritus utitur, hic tantum semel comparet: ὠκύποδας λαγός Sc. 302.

Unicum contractionis exemplum Homericum est nominativus νοῦς; apud Hesiodum quoque in hac declinatione contractio solum in eodem nomine admittitur, idque semel: fgm. 222, 2 νοῦν. (Adiectiva composita in οος, ut κακόνοος, εὔνοος omnino in usum non veniunt).

De declinatione quae dicitur Attica, poeta non discrepat ab Homero; nam etiam in illius carminibus perpauca vestigia videmus: nom. pl. fem. ἀγήρῳ Th. 277, acc. ἀγήρω Th. 949, ἴλεων fgm. 77, 3; praeterea nominis proprii nominativum Βριάρεως in Th. saepius, Ὀβριάρεῳ Th. 617, Βριάρεων Th. 817. Ceterum Th. 305 et 955 scriptum est ἀγήραος, atque ibid. v. 990 νηοῖς, Op. 340 ἵλαον. — Genitivus in ωο exiens, quo Homerus interdum utitur, ab Hesiodo alienus est.

VI. De tertia declinatione.

Primum de genere pauca dicenda sunt: κίων, quod bis extat (Th. 522 et 779), sicut apud Atticos masculinum est, quum ab Homero plerumque pro feminino usurpetur; ἄφενος quod Th. 112 usum Homericum sequitur, Op. 24 genus masc. prae se fert. — De nominum stirpibus nihil habeo quod proferam, nisi quod ἔρως sicut plerumque apud Homerum stirpis

correptione admissa ἔρος sonat,[1]) et quod forma detruncata δῶ, qua Homerus pro singulari utitur, Th. 933 etiam pluralem numerum significat.

Iam ad casuum terminationes accedam. In acc. sing. pro ἀψῖδα Op. 426 dicitur ἄψιν, quocum Euripideum Αὐλιν comparari potest; illa vero accusativi formatio vulgari legi repugnans quam habemus in εὑρέα pro εὑρύν, in carminibus Hesiodeis tantum unum praebet exemplum Op. 650. Dualis in οιιν desinentis exemplum unicum est ποδοῖιν Sc. 158; Homerus quoque illas formas non frequentat, quum praeter ποδοῖιν nihil habeat nisi Σειρήνοιιν.

In universum dativi pl. terminatio usitatissima est σι; sed carmina hac de re inter se discrepant: in Th. enim et in Op. genitivorum illa terminatione formatorum numerus non nimis differt a numero illorum qui in εσσι exeunt; in Sc. terminationis σι usus multo latius patet.[2]) Dativi et illorum nominum quorum stirpes in vocalem cadunt, et neutrorum in ος exeuntium in Th. et Op. saepissime terminatione longiore εσσι formantur velut πολέεσσι Op. 119, νήεσσι ibid. 164 al. id g.;[3]) in Sc. autem eiusmodi dativus semel tantummodo reperitur: πρυλέεσσι v. 193. Illius terminationis εσσι vocalis ε etiam apud Hesiodum nonnumquam eiicitur, sed solum in neutris in ος exeuntibus.[4]) — Omnes dativi formas, quae in substantivo πούς inveniuntur, in carminibus Hesiodeis conspicimus: longior dativus πόδεσσι semel in usum venit, fgm. 221, 2, in adiectivis autem cum πούς compositis etiam aliis locis spectatur (cf. εἰλιπόδεσσι Th. 290 et fgm. 80, 2; ὠκυπόδεσσιν Sc. 470 et Op. 816); ποσί nusquam extat nisi in Sc. (v. 63. 217. 373) et fgm. 213; ποσσί vero

---

1) Th. 120. 201. 910: ἔρως legitur fgm. 113.

2) In Sc. decies reperimus terminationem εσσι, septies et vicies σι. Ceterum in illis dativis codices in Sc. paene nusquam variant; in reliquis carminibus maxima est eorum dissensio.

3) Cf. νεφέεσσι Op. 198. δμώεσσι 502. 766; ἐπέεσσι Th. 90, γεράεσσι ib. 449, πολυφραδέεσσι ib. 494, βελέεσσι 716, λεχέεσσι 798 al. id. g. Op. 198 Hermann. pro φαρέεσσι scribi vult φάρεσσι; nam subst. φᾶρος et omnino raro et apud Homerum nusquam praebet ᾰ. Sed tamen haud scio an eiusmodi dissensio ab usu Homerico nostro poetae concedenda sit, praesertim quum codd. hic non in diversa abeant; certo enim librarii facilius formam usitatiorem φᾶρος introduxissent pro φάρος, quam hanc pro illa.

4) Th. 152 et 673 μέλεσσιν, 594 σμήνεσσιν, 61 et saepius στήθεσσιν: Sc. 76 μέλεσσιν, 124. 129 στήθεσσίν, 247 τέκεσσιν; illa vero exempla quae in Op. extant (v. 77. 149. 186) non sine codicum dissensu leguntur.

ab Homero quoque frequentatum, quod eodem modo formatum est quo illius ἴρισσι (Il. 11, 27), etiam hic minus rarum est.[1]) In aliis nominibus una illarum terminationum sola regnat: in μάκαρ, πτέρυξ, ὄνυξ solum *εσσι*, in φρήν tantum *σι*, sicut apud Homerum[2]): in aliis plures formae in usu sunt: παίδεσσι Op. 182. 399, Th. 398, παισί Th. 162; πάντεσσι Th. 372. 402, πᾶσι Th. 449. 672, Op. 531. 694; Τιτήνεσσι in Th. saepius, Τιτῆσι ib. v. 663; βουσὶ in Op. saepius, βόεσσιν ib. 454; nominis χείρ dativus χερσί ubique usitatior est quam χείρεσσι[3]); χέρεσσι bis tantummodo invenitur (Th. 519. 747). — Terminatione *εσι* Hesiodus nusquam usus est.

Nomina contracta. In neutris in *ος* desinentibus sicut apud Homerum terminationes *εα*, *εων* numquam contrahuntur. Genitivus sing. fere ubique habet vocales dissolutas, *εο*; ubi autem contractio, quae in Th. non obvia est, admittitur, solum *ευ* reperimus: θέρευς Op. 502, σάκευς Sc. 334. 460; nam et ultimo loco haec scriptura haud dubie alteri, quae ostendit contractionem in *ου* etiam in Homeri carminibus perraram, longe praeferenda est, et Op. 173 altera, ἔτους, quam nonnulli codices pro ἔτεος exhibent, non recipienda[4]). In dativo sing. *εϊ* saepe contractionem patitur, idque plurimum in Sc.; in Op. ni fallor tantum duo huiusmodi genitivi inveniuntur, quorum alter praebet formam contractam (θέρει, v. 640), alter vocales integras servat (κέρδεϊ v. 644). Ceterum plerisque locis soluta aut contracta forma propter metricam necessitatem posita est, quum versus alteram non ferret.[5]) Paucis illis locis, ubi utraque forma metro satisfaciat, in primo hexametri pede semel contracta extat (Th. 605), soluta bis (Th. 73, Sc. 5), et in quarto pede semel soluta (Th. 437). Dativus plur. illorum nominum in Th. et in Sc. plerumque clausulam *σσι* assumit, quum in Op. et *εσσι*, quod in Sc. hic nusquam omnino spectatur, et *σι* multo saepius conspiciatur quam *σσι*. — Contractionis rationem haud frequentem ostendit acc. plur. κλεῖα (Th. 100) pro κλέεα a κλέος, comparandus cum Homericis formis αἰδεῖο, ἐϋρρεῖος al. id g.

---

1) Cf. Th. v. 3. 8. 195. 842, Sc. 220. 431, Op. 541. 738.

2) Praeter ὀρτίθεσσι Homerus usurpat etiam ὄρνισι ab Hesiodo alienum.

3) Cf. Th. 487. 575, Sc. 193. 266, Op. 94. 152.

4) Perpauca tantum nomina apud poetas antiquissimos genitivi terminatione *ευς* uti Mützellius ostendit, de emend. Theog. pag. 62.

5) In unico nominis in *ευς* exeuntis dativo sing. apud Hesiodum obvio, qui est in primo pede Th. v. 1006, forma contracta legitur; Πηλέϊ enim a Goettl. receptum ne uno quidem codice probatur.

Nominum propriorum in κλῆς perpaucos invenis casus, idque solum in Th. et in Sc. Neque longum est, singulos enumerare. Nominativus Ἡρακλέης extat Th. 318. 527, genitiv. Ἡρακλῆος Th. 530. 951, Sc. 74. 138. Accusativus Ἡρακλέα qui est Sc. 448. 458, ab usu epico recedit; in huiusmodi enim nominibus propriis vocales εε in η coalescere solent, quum in nostro exemplo altera vocalis ε plane eiiciatur. Sc. 458 in omnibus fere codicibus praebet unicum dativi exemplum Hesiodeum; vulgo enim exhibent scripturam ἔσσυτ' ἐφ' Ἡρακλῆι κρατερόφρονι, etiam propterea memorabilem, quod in ea vocales ηι synizesin subeunt. Sed tamen illum unicum dativum mittamus necesse est, quum sine dubio hoc loco accusat. Ἡρακλέα κρατερόφρονα praeferendus sit, quem a Guieto ex Diaconi verbis conclusum et postea uno codice Paris. confirmatum editores in textum receperunt. Accusativus secundum morem epicum formatus legitur Sc. 54; neque vero satis certus est, quum libri manuscripti varient neque viri docti de emendandi ratione consentiant.

Inter substantiva quae in ευς exeunt, appellativa apud Homerum praeterquam in nomin. et voc. sing. et dat. plur. ubique vocalem ε geminant in η. Hesiodus in Th. et in Sc. eandem normam observat, in Op. autem nonnumquam iam posteriorem declinandi rationem sequitur. Hic enim praeter ἱστοβοῆϊ (v. 431) conspicimus dativum κεραμεῖ (v. 25), et in gen. plur. formam βασιλέων (v. 261), duobus autem locis (v. 248. 263) vocativum βασιλεῖς. E contrario in Th. semel etiam dat. plur., qui aliis locis ubique in εῦσι terminatus, eandem vocalium contractionem in η ostendit quam vulgo reliqui casus supra nominati: ἱππήεσσι (v. 439), quae forma a Theocrito quoque usurpata cum Homerico ἀριστήεσσιν comparanda est.[1] — Etiam nomina propria in genit. et dat. sing. vulgarem formationem per vocalem η alteri anteferunt, quae tamen in acc. sing. usitatior est.[2] Genitivi enim tantum duo exempla clausulam ῆος non assumunt: Τυφωέος Th. 869 et Φυκτέως fgm. 126, 2; in dativo solum Πηλεῖ (Th. 1006) obstat. Accusativus vero in ῆα ter tantummodo extat: Th. 287. 1007. Sc. 91; quartus enim locus, Th. 982, et magna codicum dissensione laborat et ad versus

1) Ceterum non omittam, v. 439 pertinere ad hymn. in Hecaten.

2) Cf. Νηρῆος Th. 240. 263. 1003, Ὀδυσσῆος 1012; Λυγκῆος Sc. 327; Νηλῆος fgm. 45. 1. Γηρυονῆϊ Th. 309, Ὀδυσῆϊ 1017. Νηρέα Th. 233, Προμηθέα 510. 521, Ἐπιμηθέα 511, Τυφωέα 821; Καινέα Sc. 179, Οπλέα 180, Θησέα 182; Ἐπιμηθέα Op. 84; Ἰέα fgm. 77, 1, Φυλέα fgm. 220.

pertinet a plerisque editoribus in spuriorum numero habitos.[1]) — Huiusmodi nominum propr. vocativo Hesiodus semel utitur: *Πηλεῦ* fgm. 71, 1, itemque nominativo plur.: *Φωκῆες* Sc. 25. — Substantivum *πόλις* quod in Th. omnino non cernitur, utramque genitivi formam praebet, et Ionicam *πόλιος* (Sc. 239. 473), et Homericam *πόληος* (Sc. 285).[2]) Praeter vulgarem accusativi formam *πόλιν*, quae cum *πτόλιν* apud Homerum sola regnat, hic semel legimus *πόληα*, Sc. 105; atque ex fgmm, addendae sunt duae formae: acc. plur. *πόληας* (fgm. 46, 3) et gen. plur. *πόλεων* (fgm. 112, 2). Ex reliquis nominum in *ις*, *εως* desinentium exemplis duo nominativi sunt; quorum alter, *παρακοίτις* (Sc. 14. 16) sicut in Homeri carminibus geminam vocalem *ι* contractam habet, alter, *δυνάμει* (ibid. 354), *ε* pro *ι* assumto alteram flectendi rationem in his nominibus usitatam sequitur. Eodem modo nominativus plur. in Op. utriusque formationis exemplo non caret: ex Ionum more poeta dicit *ὕβριες* v. 146 (cf. *ὄϊες* v. 234, *ἴδρις* Sc. 351); contra vocalis *ι* in *ε* mutationem ostendit *πίστεις* v. 372. Unicum accusativum plur. habemus, eumque vocalium *ια* contractionem in *ι* praebentem: *ὄϊς* Op. 775. — In nomine *βοῦς* Hesiodi consuetudo cum Homerica paene congruit. Nihil enim commemorandum est, nisi quod in acc. plur. *βόας* tantum Op. 452 legitur, idque non omnibus codicibus comprobatum, *βοῦς* autem, quo Homerus abstinet,[3]) in usum venit Op. 795, ubi metrum alteram formam *βόας* non admittit, et Th. 291, ubi metro quidem illa non repugnaret, sed omnium codicum consensu forma *βοῦς* firmatur. Ex genitivi plur. *βοῶν* exemplis unum, Th. 983, synizesin patitur; Goettlingius quidem hoc loco mavult *βῶν*, sed tamen nescio utrum facilius poetae haec forma imputetur an synizesis in *βοῶν* concedatur. — Ex perpaucis quae reperiuntur neutris in *ας*, *ατος* exeuntibus tria consona *τ* ciecta vocales integras servant: *γεράων* Th. 393. 396, *γεράεσσι* Th. 449, *γήραος* Op. 331, *γήρᾳ* Op. 705; duo vocales contrahunt: *σέλᾳ* Th. 867 et *σκέπα* Op. 532, cuius vocalis *α*, etiamsi pro *αα* posita, correptionem admittit, ita tamen ut vox sequens a littera consona incipiat.[4]) — Nomina *Ἀπόλλων* et *Ποσειδάων* in formatione accusativi ab usu

---

1) Hermannus etiam *Φυλέα* (fgm. 220) in *Φυλῆα* mutat.

2) Eandem etiam fgm. 77, 4; 103; 112, 2.

3) Cf. Thiersch. gr. gr. §. 195.

4) Homerus illius correptionis plura quidem exempla praebet, sed tantum duo, in quibus eadem conditio valeat (nomin. *γέρᾰ* et *κρέᾰ*); in reliquis, *δέπᾰ*, *κέρᾰ*, *σφέλᾰ*, sequitur vocalis.

Homerico non recedunt; invenimus enim Ἀπόλλωνα et (semel, Th. 15) Ποσειδάωνα. (Huius nominis proprii nominativus ubique sonat Ποσειδάων, excepto uno loco, Th. 732, ubi cum Goettlingio Ποσειδέων scribendum esse videtur; certo enim haec forma Ionica praeferenda est Atticae Ποσειδῶν quam plerique codices exhibent; ab Homeri dialecto utraque aliena est.) — Substantivorum in ηρ, quae in declinatione vulgo vocalem ε syncope amittunt, nonnulla hunc vulgarem usum sequuntur: γαστήρ enim et πατήρ in genit. et dat. sing. ε ubique eiiciunt, quum unico πατέρος (Th. 165), quod magno genitivorum πατρὸς numero repugnat, altera scriptura πατρός praeferatur. Contra μήτηρ in dat. utraque utitur forma: altera, quae syncope afficitur, in Th. (semel, v. 932), altera, integra in Op. (v. 130. 520). Atque θυγάτηρ quod in dativo vulgare θυγατρί praebet (Th. 539), in accus. praeter θυγατέρα (Th. 819, loco suspecto) etiam formam syncope detruncatam habet θύγατρα, Th. 265 et fgm. 125, 3. Δημήτηρ in unico accusativi exemplo, Th. 454, et in genit. semel syncopen patitur, Th. 912, quum Sc. 290 et in Op. saepius [1]) cernatur Δημήτερος et unicus dativus apud nostrum poetam obvius vocalem ε sibi servet. Ex his intelligitur, in illis substantivis, quae in Hesiodeis carminibus utramque formationem ostendant, fere omnia syncopes exempla ad Theog. pertinere.

Iam restat ut de nominum casibus terminatione φιν formatis pauca dicam. Huius terminationis exemplis, quae in Sc. omnino desunt, [2]) etiam reliqua carmina non abundant; et plerumque substantiva, quibus φι suffigitur, sunt primae declinationis. [3]) Ad secundam et tertiam singula exempla pertinent: θεόφιν Th. 781, Ἐρεβεσφιν Th. 669. Praepositiones vero casibus hoc modo formatis bis tantummodo adduntur: ἐκ θεόφιν Th. 871 et ἐς ἔννηφιν Op. 410. Horum alterum, ἐς ἔννηφιν, propterea memorabile est, quod omnino unicum exemplum suppeditat accusativi in quo terminatio φι compareat. Ἑτέρηφι male nonnulli pro nominativo habuerunt; iam enim satis constat, tantum casus obliquos syllaba φι suffixa formari posse, neque quidquam prohibet quominus illo loco ἑτέρηφι pro dativo accipiatur.

---

1) Op. 32. 393. 466. 597. 805.

2) Ἴφι quidem in Sc. legitur v. 11, et Op. 541; sed quomodo explicandum sit, nondum satis certo constat.

3) Ἀγορῆφι Th. 89, βίηφι ib. 496. 882; ἑτέρηφι Op 216, ἀναιδείηφι ib. 359, θύρηφι 365, ἔννηφιν 410; κεφαλῆφι Th. 578 et Op. 545.

Minime enim propterea quod apud Hesiodum substantivum terminatione φι flexum semel pro accusativo usurpatur, etiam nominativum illam terminationem accipere posse sumendum est. Ille accusativus insolitus apte ex ea re explicatur, quod forma ἐννηφι paullatim adverbii locum sortita postea non abhorrebat a coniunctione cum praepositione εἰς. In nominativum autem eiusmodi explicatio cadere non potest. — Hic mihi liceat nonnulla addere de terminationum θε, θι, δε in substantivis usu. Ex illis θε et nominibus propriis locum significantibus suffigitur (Αἰλαίηθεν fgm. 202, Πιερίηθεν Op. 1.) et eiusdemmodi appellativis (κατὰ κρῆθεν Th. 574, ἀπὸ κρῆθεν Sc. 7, ἀπ' οὐρανόθεν ib. 384, οὐρανόθεν Op. 242 et saepius, πεδόθεν Op. 680); nominibus propriis personarum tantum Sc. 22 in Διόθεν et Op. 765 in ἐκ Διόθεν. Θι nusquam nisi Sc. 85 cum substantivo coniungitur, ut in Homericis οἴκοθι, κηρόθι, οὐρανόθι al. id. g.; adiectivo autem substantivi loco posito et pronomini adiect. αὐτός nonnumquam suffigitur: νειόθι Th. 567, αὐτόθι Op. 96, μεσσόθι ib. 369. De rarioris terminationis δε usu poeta cum Homero consentit; pro Πυθοῖδε enim (Sc. 480), quod vulgari legi obnititur, cum Goettlingio et Lennepio melius Πυθώδε scribi videtur.

Nomina anomala. Ἀΐδης, cuius altero nominativo Ἀϊδωνεύς Hesiodus quoque non caret, in Th. ubique praebet genitivum Ἀΐδεω, in Op. Ἀΐδαο, in Sc. Ἄϊδος. Dativus nusquam extat. — Ἀνήρ. Valde frequentantur formae ἀνδρός, ἀνδρί simm.; altera huius vocis flexio paene nusquam reperitur nisi in Op., ubi ἀνέρι, ἀνέρα saepius [1]) habemus, ἀνέρες et ἀνέρας semel (v. 303 et 494), quum in Sc. tantum ἀνέρι (v. 48) et in Th. solum ἀνέρες in usum veniat (v. 197. 432). Dativus plur. plerumque ἀνδράσιν sonat; [2]) ἀνδρεσσι in Sc. non obvium bis cernimus in Op., v. 484. 638, in Th. semel, v. 600. — Nomen Ἄρης cuius paene omnia exempla ad Sc. pertinent, varias genitivi formas nobis offert. Nam in ipso Sc. et Ἄρηος invenimus et Ἄρεος [3]) (uno loco, v. 450, nonnulli codices et libri editi exhibent etiam formam Atticam Ἄρεως, cui tamen scriptura Ἄρεος certo anteponenda est); accedit ex Op. et ex fgmm. Ἄρηος. [4]) Dativum bis spectamus, eumque per η formatum: Ἄρηϊ, Th. 933. 936. Accus. Ἄρην unico loco Sc. 333 nulla

1) Ἀνέρι Op. 326. 559. 813; ἀνέρα ib. 192. 364. 754. 751.
2) Septies in Op., in Sc. quater, quinquies in Th.
3) Ἄρηος Sc. 109. 181. 434; Ἄρεος Sc. 98. 191.
4) Op. 145; fgm. 70, 4; 126, 1; 131, 2.

scripturae varietate in dubium vocatur; aliis autem locis codices fluctuant inter *Ἄρην*, *Ἄρηα*, *Ἄρη*, ex quibus plerumque plura metro non repugnant. Addendus est voc. *Ἄρες* (Sc. 446). — *Γοργώ* praebet genit. *Γοργοῦς* Sc. 224, nom. pl. *Γοργόνες* ib. 230, acc. pl. *Γοργούς* Th. 274. — *Δόρυ*. Nomin. et acc. sing., in quibus Homerus vulgarem quoque formationem adhibet, hic non comparent; in aliorum casuum exemplis poeta formas alternat.[1]) — *Ἔαρ* quod apud Homerum vocalium *ε* et *α* contractionem nonnumquam patitur, vocales illas integras quidem ubique tenet, sed synizesin interdum admittit, Op. 462 et 492. — *Ζεύς*. In gen. sing. forma *Διός* multo latius regnat quam *Ζηνός*, et in quovis carmine permulta suppeditat exempla; atque in Sc. alter genitivus plane deest, quum in Th. et Op. certe nonnumquam conspiciatur[2]) (praeterea *Διός* scriptum est fgm. 29, 2 et 36, 1, *Ζηνός* fgm. 112, 2 et 177, 2). Dativus omnino rarus in Op. ubique est *Διΐ*.[3]) In acc., quo Sc. plane caret, Op. tantum *Δία* offerunt (v. 2. 52. 273), Th. utramque formam habet: *Δία* v. 11. 468, *Ζῆνα* etiam saepius.[4]) Vocat. *Ζεῦ* extat Th. 548 et fgm. 172, 1. Scutum igitur in hoc nomine usitatiorem formationem sequitur, quum altera semel tantummodo in usum veniat. — Nomen propr. *Θόας* fgm. 104 accusativum *Θόαν* praebet pro *Θόαντα*. — *Ἰδρώς*. Huius nominis accusativum Hesiodus primus non in *ἰδρῶ* format, sicut Homerus, sed in *ἰδρῶτα*, Op. 289. — *Κρόκη* propter accus. metaplasticum *κρόκα* (Op. 538) memorabile est. — *Μείς*. Haec nominativi forma ut apud Homerum hic nusquam usurpatur; alteram, *μείς*, legimus Op. 557. — Substantivi *ναύς*, cuius nomin. et sing. et plur. non comparet, omnes formae Hesiodeae[5]) iam in Homeri carminibus spectantur, praeter unum genitivum *νεώς*, fgm. 93, 7; sed hic non magni momenti est, quum ille locus suspicionem moveat. Eae formae Homericae quibus noster poeta abstinet, hae sunt; *νεός νέα, νεῶν*. — *Νιφάς*. Accusat. metaplasticus est *νίφα*, Op. 535. — *Πρέσβυς*. Huius substantivi nom. plur. *πρεσβῆες*, Sc. 245, ea re cum vul-

---

1) *Δούρατι* Sc. 462, *δουρί* ib. 362; *δούρατα* Op. 456, *δοῦρα* ib. 807.

2) Th. 41. 285. 529; Op. 87. 245. 253. 416. 483. 661.

3) Op. 69. 259. 465. 724.

4) Th. 47. 457. 479. 568. 884.

5) *Νηός* Th. 998. Op. 628; *νηΐ* Op. 636. 650; *νῆα* in Op. sexies; *νηῶν* Op. 236. 649 660, fgm. 247; *νηυσίν* Op. 634. 689. 808; *νήεσσι* ib. 164; *νῆας* Th. 875 et Op. 622. 809; *νέας* Op. 247 et fgm. 93, 6.

gari consuetudine discrepat, quod illic significat non „delegatos“ sed „veteres, principes.“ — *Σπέος*. Praeter ipsum nomin. nihil invenitur nisi dat. *σπῆϊ*, Th. 297. — Pro masculino *ὁ Τάρταρος*, quo ubique utitur Homerus, Hesiodus ter dicit *τὰ Τάρταρα*: Th. 119. 725. 841. — In nominis *ὕδωρ* dativo duplicem formam conspicimus: *ὕδατι* Op. 739, *ὕδει* a nominat. [*ὕδος*] derivandum Op. 61. — Substantivi *υἱός* vulgarem formationem tantum nominativus, accusativus, vocat. sing. sequuntur; Homerus eam in aliis quoque casibus admittit. *Χείρ*. Apud illum praeter *χειρός*, *χειρί* nonnumquam etiam *χερός* et semel *χερί* cernimus; hic ubique diphthongus *ει* servatur, praeterquam in dat. plur., qui saepius *χερσί* sonat quam *χείρεσσι* (praecipue in Th. et in Sc.). Dativus *χέρεσσι* Hesiodo proprius bis extat, idque in Th., v. 519. 747. — Horum nominum ordini tria substantiva adiungantur quae apud solum Hesiodum reperiuntur et propter ipsam formationem memorabilia sunt: *γλάφυ* (Th. 287. 309), *δώς* pro vulgato *δόσις* (Op. 356), *ἅρπαξ* pro *ἁρπαγή* (ibid.).

VII. De adiectivis.

Adiectiva, quae in *ος* exeunt, apud poetas haud raro contra consuetudinem vulgarem duorum generum sunt. Huiusmodi exemplis Hesiodi quoque carmina non carent, qui hac in re maiore quadam licentia utitur. Nam praeter *κλυτὸς Ὠκεανίνη* (Th. 956) et *θῆλυς ἔερση* (Sc. 395), quorum alteri Homerica *κλυτὸς Ἵππιο δάμεια* et *κλυτὸς Ἀμφιτρίτη* respondent, alteri plures Iliadis et Odysseae loci,[3]) et praeter *θερμὸς ἀϋτμή* (Th. 696 quod etiam hymm. in Merc. v. 110 legitur, poeta alia sibi permisit, quibus similia Homerus non praebet: *ἀταριηροῖο γενέθλης* Th. 610, *ἀρῆς κρυεροῖο* ib. 657, *ἱερὸν ἀκτήν* Op. 466, *Λητὼ-ἤπιον* Th. 407. [1]) Semel etiam superla-

1) Praeter nomin. sing. has reperis formas: dat. *υἱέϊ* Th. 476, *υἷι* Sc. 150. 163; acc. *υἱόν* saepius et in Th. et in Sc. (in Op. omnino tantum unum huius nominis extat exemplum, nom. *υἱός* v. 271); voc. *υἱέ* Th. 660; *υἱεῖς* fgm. 70, 3; 136, 1; *υἱέες* Th. 368; *υἱέας* fgm. 45, 1 et 130.

2) *Χείρεσσι* Op. 94. 152, Sc. 193. 266, Th. 487; *χερσί* Op. ter, Sc. octies, Op. octies. *Χειρός* Op. 480. Th. 182. 692; *χεῖρα* Op. 797; *χειρῶν* Th. 677. 715; *χειρί*, *χεῖρες*, *χεῖρας* ita frequentantur, ut singulos locos enumerare longum sit.

3) Velut Il. 10, 216; 19, 97; Odyss. 5, 467, al.

tivi masculinum cum substantivo feminini generis coniunctum est: *Λητὼ ἀγανώτατον* Th. 438; cui comparandum est Homericum *ὀλοώτατος ὀδμή*. Goettlingius quidem hoc exemplo illud Hesiodeum aegre excusari dicit; sed mihi iam ipsum per se ea re excusari videtur, quod forma *ἀγανωτάτην* omnino in hexametrum non quadrat.[2]) In adiectivo *ἀμφίρυτος* autem Hesiodus vulgarem usum sequitur, ita ut sit adi. comm. gen., quum Homero femininum peculiare *ἀμφιρύτη* usitatissimum sit. E contrario in nonnullis adiectivis compositis, quibus vulgo tantum duo genera tribuuntur, forma femin. comparet: *ἀθανάτη* Th. 968. 1020, *πολυφόρβη* ib. 912, *ἀκαμάτη* ib. 519, *λακέρυζα*, cuius masculinum nobis nusquam traditum est, fgm. 163, 1, *Ἀδμήτη* Th. 349, *αὐτομάτη* Op. 118, *ἀργυρόπεζα* Th. 1006; quae omnia iam in Homeri carminibus inveniuntur, exceptis duobus *λακέρυζα* et *ἀκαμάτη*. Ceterum Th. 519 codices etiam formam mascul. exhibent; atque haud dubie haec propterea recte a Lennepio praefertur, quod Hesiodus in hoc femininorum usu intra fines paullo angustiores se continens eiusmodi formas numquam usurpat nisi necessitate quadam coactus [3]); cui solum illud *ἀκαμάτη* repugnaret. Etiam nonnulla adiectiva cum praepositionibus composita formant femininum a vulgari genere loquendi alienum, velut *ἀμφιελίσσας* fgm. 93, 9, et *ἐννύχιαι* Th. 10, in Homeri quoque carminibus obvia, atque *μεταχρόνιαι* Th. 269. Ex omnibus autem illis femininorum peculiarium nullum est quod sit ex Sc. allatum.

Inter adiectiva in *εις*, *εσσα*, *εν* valde frequentata ea quae in *ηεις* et *οεις* exeunt, contractionem nusquam patiuntur; productio autem vocalis *ο* in terminatione *οεις* etiam apud Hesiod. admittitur, in adi. *ὠτώεις*, Op. 657, quum hexameter formam *ὠτόεντα* non ferat. Item in adiectivis in *εος* et *οος* vocales numquam coalescunt; pro *ἀργυρῷ* enim, Op. 144, quod et ab Hesiodi et ab Homeri usu plane recedit, haud dubie recte Goettling. *ἀργυρέῳ* recepit. Interdum vero in duobus adiectivis, *χρύσεος* et *χάλκεος*, vocalis *ε* ex more epicorum in *ει* producitur.

Adiectiva in *ως* rarissima sunt; pro *ἵλεως* enim sicut apud Homerum dicitur *ἵλαος*; pro *πλέως* non solum *πλεῖος* [4])

1) Hic addam, etiam duorum particip. masculina in duali num. cum feminino coniungi: Op. 198. 199.

2) Praeterea vid. Schoemann. Opusc. acad. II p. 447.

3) Mützell. hoc accuratius exposuit pag. 194.

4) Op. 101 bis, 778.

sed etiam πλέος[1]) Herodoto usitatum, quo Homerus abstinet; adiectivi ἀγήραος autem altera forma ἀγήρως tantum in accus. metaplastico ἀγήρω (Th. 949) quodammodo latet, qui non tam ab ἀγήραος quam a nomin. ἀγήρως deducendus est. Inter adiectiva in υς desinentia ὠκύς in feminino ἑα assumit pro εῖα Th. 780. E contrario neutrum plur. semel vocalem ε producit in ει: ὀξεῖα Sc. 348. Guietus quidem cum aliis hac forma offensus versum commutandum esse putavit; sed tamen illud ὀξεῖα a plerisque recte comprobari videtur, quum non plane exempla similia desint, quae ei auxilium ferant (conf. Buttmanni gramm. gr. uber. p. 248)[2]). Dat. masc. sing. duo tantummodo extant, iique contractione non affecti: ὀξέϊ Sc. 335, εὐρέϊ Op. 507. De acc. sing. iam supra dictum est (pag. 15). — Frequentia adiectiva in ης, ες contractionem non admittunt praeterquam in tribus dativis ἀτειεῖ, Th. 661, ἠεροειδεῖ ib. 757, εὐαεῖ Op. 599 (fgm. 199 κυκλοτερεῖ), et in acc. sing. εὐειδῆ fgm. 83, 4.

Adiectivi πολύς flexio in masc. et neutro maxime varia est. Reperimus enim nominat. πολύς Sc. 274. 401, πολλός ib. 475; in neutro saepe et πολλόν[3]) et πολύ[4]); dativum πολλῷ Op. 677; acc. πολύν saepius[5]), πολλόν Op. 119. In nom. pl. autem et in gen. nihil nisi πολλοί et πολλῶν (Th. 447); dat. πολλοῖς Op. 581, πολέεσσι ib. 119; acc. πολλούς Th. 995, πολέας Op. 580. Hesiodus igitur has formas Homericas non adhibet: πολέος, πολέες, πολέσσι, πολέσι, πολεῖς. Diphthongum ου pro ο praeter accus. masc. πουλύν (Th. 190) tantum nonnulla nomina habent cum πολύς composita[6]); ceterum Sc. huiusmodi formis plane caret.

De comparatione. In comparatione adiectivorum in ος exeuntium poeta ubique leges vulgares observat. Homero hac in re plura concessa fuerunt, quippe qui metri causa formis ὀϊζῡρύτερος, λᾱρώτατος, κακοξεινώτερος analogiae plane re-

---

1) Op. 792, πλέῳ ἥματι.

2) Homericum κείν' ὄχεα pro κενά, quod Lennep. in horum numero ponit, huc non pertinere videtur, quum in κερός sicut in στερός antiquitus fuisse diphthongum ει ex comparat. et superlat. concludi possit; in his enim κερότερος, στερότερος, κερότατος, στερότατος perdiu in usu fuerunt, etiam tum quum in posit. κερός et στερός paene sola regnabant.

3) Th. 787. Sc. 48. Op. 19. 207. 279. 320. 417.

4) Th. 428. Sc. 78. 114. Op. 127. 309. 433.

5) Th. 974. Op. 232. 635. 652.

6) Πουλυνόμη Th. 258; πουλυβότειρα Th. 531 et in Op. saepius.

pugnantibus uti non dubitet. Neque habemus exempla Hesiodea, in quibus pro terminatione *οτερος* vel *ωτερος* proprie necessaria compareat *εστερος*, velut in Homerico *ἀνιηρέστερος*. — Adiectivi *φίλος* comparativus Homericus *φιλίων* ab Hesiodi dialecto alienus est, qui alias formas quam *φίλτερος*, *φίλτατος* non usurpat. Terminationes *ιων*, *ιστος* praeterquam in iis adiectivis, quae etiam in oratione pedestri eodem modo comparantur, Hesiodus rarissime praebet: in comparativis *ῥίγιον* Op. 703, *βράδιον* ib. 528 (Homerus habet *βράσσων*), et in superlativo *κύδιστος* Th. 548.

Iam singulos comparativos et superlativos quos vulgo dicunt anomalos accuratius consideremus. In adiectivi *ἀγαθός* comparatione hae formae in usum veniunt: *κρείσσων* Op. 210. 217 et *κάρτιστος* Th. 981; *λώϊον* in Op. quater; *βέλτερον* Op. 365, ubi unus codex *βέλτιον* exhibet; *ἀρείων* et *ἄριστος* quae in Th. nusquam, in Sc. tantum bis leguntur (in nom. propr. *Ἄρείονα* v. 120 et *ἄριστος* v. 48), in Op. saepissime conspicimus (comparativum ter, superl. duodecies); *ἀμείνων* in Sc. semel scriptum est, v. 51, in Op. autem etiam multo magis frequentatur quam *ἀρείων*. *Φέρτερος* nonnulli codices Sc. 114. tradunt pro *φίλτερος* a Goettlingio et Lennepio recepto; *φέρτατος* vero duobus illis locis ubi extat (Th. 49, Sc. 330) in dubium vocari non potest. Ex illis igitur comparandi generibus pleraque in Op. comparent, ad Th. pertinet solum *κρείσσων*, ad Sc. *ἀρείων*, *ἄριστος*, *ἀμείνων*, *φέρτατος*. — *Κακός*. In compar. inveniuntur *χειρότερος* Op. 127, Sc. 51, et *χερείων* Op. 821. Superlativi forma unica est *κάκιστος* sicut apud Homerum. — *Μικρός*. Comparat. *ἧσσων* semel cernitur, Th. 426, *μείων* autem Th. 447 et Op. 690; superlativus nullam aliam formam praebet nisi *ὀλίγιστος* Op. 723. — *Πολύς* utrumque habet comparativum, *πλείων* in Th. et in Op., *πλέων* in Op. et in Sc.; eiusmodi vero formae Homericae, ut *πλέες*, in carminibus Hesiodeis desunt. — *Ῥάδιος* nusquam comparatur, *πίων* tantum Op. 585, ubi est superl. *πιότατος*. — Comparativi qui non ab adiectivis derivandi sint, duo afferri possunt: *ῥίγιον* iam supra commemoratum et *ὁπλότατος*, quod in Th. et in fgmm. frequentatur. — Adiectivi *λοῖσθος*, cuius positivo apud Homerum vis superlativi subiecta est, superlativus *λοισθοτάτην* legitur Th. 921.

---

1) Haec terminatio omnino bis legitur, in adi. *προφερής*, Th. 79. 361.

VIII. De numeralibus.

1) Cardinalia. *Εἷς* Th. 145 dilatatur in *ἕεις*, quod praeterea nusquam fit nisi semel in Anth. Pal.; epici *ἴος* autem nullus est apud Hesiodum usus. Composita huius vocis praeter *οὐδέν* et *μηδέν* etiam nominat. *οὐδείς* offerunt (fgm. 177, 1), ab Homero nondum usurpatum. *Δύο* in conspectum venit Th. 278, Sc. 112. 187, *δύω* Sc. 402, Op. 12. 772; *δυοῖν* et ab Homero et a nostro poeta alienum est. Alteram formationem sequitur *δοιοί* Sc. 173 et 211 (ubi nonnulli codices tradunt *δοιώ*), *δοιώ* Sc. 234, *δοιά* Op. 432. Pro vulgari *τέσσαρες* quo Hesiodus abstinet, ex Dorica dialecto sumsit *τέτορα* Op. 698. *Δυώδεκα* et *δυοκαίδεκα*, quibus Homerus praeter *δώδεκα* utitur, nusquam invenis (*δυώδεκα* enim comparet solum in adiectivo composito *δυωδεκάμηνος* et in *δυωδεκαταῖος*); atque ipsum *δώδεκα* semel tantummodo legimus, Sc. 162. Cardinalium quae sunt inde a *εἴκοσι* usque ad *ἑκατόν*, perpauca reperimus exempla, sed inter ea formam plane singularem, genitivum *τριηκόντων* Op. 696. Qui quum a communi sermonis consuetudine prorsus recedat, fortasse illo loco altera scriptura *τριήκοντα* nonnullis codd. confirmata praeferenda est; haec enim propterea paullo facilius tolerari potest, quod vox sequens *ἔτος* antiquitus a digamma incepisse videtur; quamquam concedendum est, etiam sic illam vocalis *ᾰ* productionem molestam esse et nonnihil habere offensionis.

2) Ordinalia. Sicut Homerus etiam noster poeta praeter *τέταρτος* (Op. 157. 800) usurpat *τέτρατος* (ib. 596 et Sc. 363), praeter *ἑβδόματος* (Op. 805) etiam *ἕβδομος* (Op. 770), *δυωδέκατος*[1]) praeter *δωδέκατος* (fgm. 45, 2). Pro *ὀγδόατος* vero, quod est Op. 772. 790, vulgare *ὄγδοος* nusquam reperitur. *Ἔνατος* semel deprehendimus, Op. 772, *εἶνατος* numquam.

In reliquis numeralibus nihil est, quod commemoratione dignum sit.

IX. De pronominibus.

1) Pronomina personalia. a) In nomin. sing. et *ἐγώ* et *σύ* valde frequentantur, idque plurimum in Op. quorum argumentum et tenor huiusmodi pronominum usui magis favebat quam Sc. et Theog.; *ἐγών* conspicitur Op. 654, *τύνη* semel in Th. (v. 36), in qua *σύ* deest, et in Op. v. 10. 641. — b) Ge-

1) Op. 774. 776. 791.

nit. sing. pauca exempla extant: *μεῦ* Th. 644, *ἐμεῖο* Sc. 361. 449; *σέο* Op. 478, *σέθεν* ib. 343. 700; tertiae autem personae genit. unicus est *εἷο* Th. 392. — c) In dat. sing. utraque primae pers. forma in usu est, *ἐμοί* Th. 164, Sc. 94, *μοί* in Th. saepius [1]). Secunda persona praebet et *σοί* et *τοί* [2]). Pro *οἱ* permultis locis obvio semel cernitur *ἵν* (fgm. 204, *ἵν δ' αὐτῷ*), forma omnino rarissima et ab Homeri dialecto aliena. — d) Accus. primae pers. *μέ* satis frequens est, *ἐμέ* nusquam comparet nisi Op. 396. De secunda pers. nihil commemorandum est; saepissime enim *σέ* invenimus. Tertiae vero pers. accus. plerumque est *μίν*; *ἕ* solum quinquies spectatur [3]). — e) Dualis omnino duo exempla afferri possunt, eaque primae personae: nominat. *νῶϊ* Sc. 358, dativ. *νῶϊν* Sc. 350. f) Pluralis quoque multo rarior est quam singularis. Nam ex primae personae casibus legimus tantum *ἧμεῖς* fgm. 163, 4 et *ἄμμες* Sc. 87; in secunda autem nomin. *ὑμεῖς* Th. 649. 963, Op. 248, et dat. *ὔμμι* Sc. 328. Aeolicae igitur formae Scuto propriae sunt. Plurima vero exempla tertia pers. suppeditat; huius enim omnes casus usurpantur, excepto ipso nomin.: gen. *σφεών* Th. 144. 361, in dat. et *σφίσιν* [4]) et saepissime *σφίν* [5]), in acc. *σφέας* saepius [6]), *σφᾶς* semel, Th. 34.

Ex his apparet, haud paucas esse formas, quibus Homerus utatur, noster abstineat. Sed haec res non multum valet propter carminum quae nobis servata sunt, multo minorem ambitum. Hoc maioris videtur esse momenti, quod pronominum Hesiodeorum pleraque Homero et Herodoto communia sunt, eorum autem quae non apud hunc, sed tantum apud illum in conspectum veniant, plurima in Sc. inveniuntur [7]).

2) In pronominibus reflexivis Homerus compositionem nondum adhibet. Hesiodus semel tantummodo eiusmodi formam habet, *ἑαυτῇ*, Th. 126, quae multos quidem offendit sed tamen defendenda videtur, quum omnes codices illo loco consentiant

---

1) Th. 30. 31. 35. 114; praeterea fgm. 172, 1; 178, 1.

2) Illud Sc. 330. Op. 34. 56. 286. saepius; hoc Sc. 447. Op. 344, saepius.

3) Th. 332, 482, Sc. 359, Op. 268, fgm. 94, 4.

4) Sc. 279. 296. 348; fgm. 197.

5) In Sc. undecies; Th. 63. 627; fgm. 169, 5; 206, 2.

6) Sc. 169. 326. 403; Th. 624.

7) Huiusmodi formae sunt in Sc. *ἐμεῖο*, *νῶϊ*, *νῶϊν*, *ἄμμες ὔμμι*; in Th. praeter *τύνη* etiam *εἰο*, *σφᾶς*; in Op. *ἐγών* et *σέθεν*, *τύνη*.

et omnino quaedam differentia intercedat inter Hesiodi et Homeri dialectos, ita ut non omnia quae ab huius usu recedunt, propterea in dubium vocanda sint. Duobus autem aliis locis, Th. 470 ubi antea legebatur αὐτῆς et Op. 296 ubi nonnulli codices exhibent αὐτῷ, recte αὐτῆς et αὐτός praeferuntur.

3) Pronomina possessiva. Ἐμός et σός in omnibus carminibus extant, τεός Doricum solum in Op.[1]); in tertia pers. et ἑός et ὅς frequentantur. In prima pers. plur. neque ἀμός in usu est neque ἀμός, sed tantum longior forma ἡμέτερος; praeter ὑμέτερος autem (Th. 166) etiam ὑμός legitur (Th. 662); praeter σφέτερος, quod in omnibus carminibus comparet, semel σφός, Th. 398. Atque hoc loco σφοῖσιν pro ἑοῖς positum singularis numeri ascivit vim et significatum, quum ad Stygem sit referendum. Saepius enim sicut etiam apud Homerum hoc modo pronomina poss. inter se commutantur. Cuius rei reliqua exempla Hesiodea haec sunt: ἑόν pro σφέτερον dictum Op. 58, ὅν pro σφέτερον Th. 71, σφέτερον et σφετέρους pro ἑόν et ἑούς Sc. 90; σφέτερος pro ὑμέτερος Op. 2; ὅς pro σός Op. 381 (sed hic locus ambiguitate scripturae incertus redditur et praeterea ad versus pertinet pro spuriis habitos).

4) De reliquis pronominibus perpauca addenda sunt. Ex pronominum τίς et τὶς formis epicis nullam reperimus nisi τεῦ, Op. 330; amplificatum τέῃ praebet Th. 35. Pronomen ὅστις ubique ita flectitur, ut utraque eius pars mutetur; eiusmodi enim formae, ut Homericae ὅτις, ὅτευ, ὅτινα, in Hesiodeis carminibus prorsus desunt.

X. De verbo.

a) De augmento syllabico.

Verba a consona ϱ inducta ubi augmentum assumunt, secundum consuetudinem vulgarem illam geminant; unicum exemplum quod huic normae repugnet, extat in verbo ῥέζω, cuius aoristus ἔρεξεν fgm. 217 legitur. Ex reliquis consonis liquidis ν eiusmodi geminationem nusquam admittit[3]), λ tantum semel:

1) Sexies; alteram formam σός hic reperis v. 107. 274. 633.

2) Cf. ᾗτινι Op. 31, ὅντινα Th. 81. 96. οἵτινες Sc. 150. 163 al. id g.

3) Apud Homerum tantum in ἔννεον.

ἔλλαβε Th. 179; μ geminari videmus in ἐμμορε[1]) (in Op. et in Th.). Praeterea illam duplicationem etiam consona σ patitur, in verbo σεύω: ἔσσυτο Sc. 458, ἀπέσσυτο Th. 859, ἐσσυμένως in Sc. ter; muta δ vero, quae eam apud Homerum in ἔδδεισα praebet, hic numquam geminatur. — Augmentum η quod in Atticorum dialecto comparet in verborum βούλομαι, δύναμαι, μέλλω imperfectis, apud Hesiodum iam invenitur in ἤμελλε, quum ab Homero nondum usurpetur; ceterum in Th. etiam alteram formam conspicis simplici augmento instructam: ἐμελλεν v. 490. 552. — A verbis quae in perfecto pro reduplicatione vulgari diphthongum ει praefigunt, tantum tres formae reperiuntur, in quibus illud locum habere possit; quorum duae hanc legem sequuntur, εἰρημένος Op. 370, et εἵμαρτο Th. 894, tertia autem, λέλογχε (Th. 203), reduplicationem vulgarem accepit. — In verbi κτάομαι perfecto, cui Homerus solum augmentum syllabicum tribuit, apud nostrum iam reduplicationem deprehendimus: κεκτῆσθαι Op. 437.

Aoristi II. epici, quibus pro simplici augmento reduplicatio initio accedat, perpauci in usum veniunt; quorum ex numero λέλαθον (Th. 471), τέτμη (ib. 610), κέκλυτε (ib. 644), πέφραδον (Op. 766, Th. 475), etiam in Homeri carminibus extant, μέμαρπον (Sc. 245)[3]) et μέμαπον (ib. 252) neque apud illum neque apud alios scriptores leguntur. Aoristis ἐκέκλετο, et ἔπεφνεν, qui ad reduplicationem augmentum adiungunt, Homerus quoque utitur; ἐπέφραδε autem (Th. 74) in illorum aoristorum numero ponendum non est, quum melius pro aoristo verbi compositi ἐπιφράζειν accipiatur[4]). Quod Mützellius de em. Theog. p. 189 de Hesiodeo augmenti syll. usu in compositis profert, idem etiam de Op. et Sc. valet; in omnibus enim carminibus raro composita illud augmentum omittunt. Atque si accuratius in eam rem inquiremus, poetam hac licentia non ad arbitrium usum esse intelligemus. Ex paucis enim huiusmodi neglecti augmenti exemplis ἀμφιδεδήει, Sc. 62, fortasse hac re quodammodo excusatur, quod ἀμφεδεδήει propter duas vocales ε minus bene sonaret; ἀποκρύπτασκε (Th. 157) autem omnino

1) De veterum grammaticorum explicatione huius formae cf. Lobeck. Pathol. I. p. 502.

2) Th. 888 quidem ἤμελλε propter scripturae ambiguitatem minus certum est; sed Th. 478 et 898 in suspicionem vocari non potest.

3) Quamquam negari non potest, hanc aoristi formam multum habere offensionis (Op. 204 cernimus perf. μεμαρπώς).

4) Cf. Thiersch. gr. gr. p. 406.

offendere non potest, quum iterativa per σκον formata augmentum respuant; item res se habet de περιστονάχιζε, Sc. 344. Permultis praeterea exemplis ex eo excusatio parari potest, quod in iis formae augmento instructae in versum heroicum non quadrarent, velut ἔκφυγε Th. 182, ἐγκάτθετο ib. saepius, ἐκγενόμεσθα ib. 648, προγένοντο Sc. 345 al. id g. Itaque si illa mittimus, tantum duo restant, quae sunt in Th.: ἐπιλήθεο v. 560, σύμπλασσε v. 571. Sed altero loco pro ἐπιλήθεο a Goettlingio probato Lennepius ex nonnullis codicibus ἐπελήθεο recepit; hoc enim Mützellius l. l. recte etiam propterea postulaverat, quod ἐπιλήθεο propria est imperat. forma. Itaque etiam alter et iam unicus locus facili medela sanandus esse mihi videtur, ita ut scribatur συνέπλασσε; nam si haec fuit ingenuina forma, apte, cur literarii σύμπλασσε posuerint, ex eo explicari potest, quod positione ante πλ neglecta offenderentur; hanc autem tolerari posse exempla a Spitznero in libro de versu heroico p. 98 prolata demonstrant.

b) De augmento temporali.

Vix opus est, ut commemorem, earum formarum rationem non esse habendam quae metri causa ubique augmentum sive assumunt sive negligunt, quum alio modo versui heroico propter brevium syllabarum multitudinem aut locum accommodari non possint. Missis igitur ἠγάγετο, ἐνήρατο, ἐπήγαγε, ἐξενάριξε, al. id g., primo ea verba tractem, quae a vocali α incipiunt. Quorum ex numero ἄνωγα, ἄρχω, ἀμάω ubique augmentum accipiunt[1]), ἄγνυμι in impf. pass. atque ἀέξω nusquam eo instruuntur[2]). Utroque autem modo praeterita formant ἄγω, ἀγείρω, ἀνάσσω[3]). — Diphthongus αι ubique augmento in η mutatur in αἰωρεῖσθαι, integra servatur in αἴνυμαι[4]); diphthongus αυ illo non caret in προσαυδάω et ἀπαυράω[5]).

---

1) Cf. ἤνωξε Sc. 479, ἤνωγε Op. 68; ἦρχε Sc. 26, ἐξῆρχον ib. 205; ἤμησε Th. 181, ἤμων Sc. 288.

2) Cf. ἄγνυτο Sc. 279. 348; ἀέξετο Th. 195. 524. 641.

3) Ἐξάγαγε Th. 586, ἦγε ib. 994, ἄναγον Sc. 280, ἦγοντο ib. 274; ἄγειραν Op. 652, ἠγείρετο Sc. 475; ἄναξε Th. 837, ἄνασσον ib. 1016, quibus repugnat ἤνασσεν.

4) Cf. ἀπῃωρεῦντο Sc. 225, κατῃωρεῦντο ib. 234; αἴνυτο Sc. 41. 149, fgm. 174, 3.

5) Προσηύδα Th. 168. Sc. 117. 326. 445; ἀπηύρα Th. 423, Sc. 428, Op. 240; atque omnino αυ apud Hesiodum augmentum non omittit, quum etiam tertium huiusmodi verbum, ηὔξετο Th. 493, initio auctum sit.

Inter verba quorum vocalis initialis est ε, solum ἐγείρω ubique eam tenet; ἐσθίω et verbi ἔρχομαι aoristus augmentum nusquam negligunt; contra ἐρίζω, verbi εἰμί 3. pers. pl. impf., ἐρείπω, ἐλαύνω augmentum modo asciscunt, modo respuunt. — Pauca illa verba quae ab ευ et ει inchoata apud nostrum poetam invenis [1]), non ab usu Homerico recedunt.

Vocalem ι initialem verbi ἱκνέομαι aoristus et ἱκάνω modo augmento accepto producunt modo brevem servant. Verba quae ο in fronte habent, augmento affici solent; quod ubique fit in verbo ὄρνυμι in omnibus carminibus obvio, in ὀπάζω, in aoristo ὤλεσα. Tantum duo verba vocalem ο non mutant: ὀρούω quod in Sc. nonnunquam conspicitur, et ὄσσομαι (Th. 551). Unicum verbi a diphthongo οι incipientis exemplum augmentum assumit (ᾤχετο, Sc. 91. 200.)

De iis formis quae in Hesiodi carminibus semel tantummodo inveniantur nihil est quod commemoratione dignum sit, nisi quod ἐρείδω, cui ab Homero in solo plusquamperf. augmentum tribuitur, Sc. 362 in aoristo eo instructum est.

Inter illa verba a vocali ε inchoantia, in quibus augmento accedente ε initiale vulgo non in η sed in ει transit, ἔχω et verbi αἱρέω aoristus augmentum modo accipiunt modo omittunt; εἶλκω et ἕπω diphthongum ει non praebent [2]). Verbi ἐργάζομαι praeteritum nusquam extat nisi Op. 151, ubi et εἰργάζοντο legitur et ἐργάζοντο; ἐάω vero et ἐλίσσω in praeterito perraro reperimus: εἴασε Sc. 424, εἰλιγμένος Th. 791, εἰλιγμένος fgm. 201, 2.

Hic mihi liceat, nonnulla addere de reduplicatione quae dicitur Attica. Praeter vulgaria eius exempla conspicimus etiam unum Hesiodo proprium, ἐρήρισται (fgm. 219, 2), quod haud dubie a verbo ἐρίζω derivandum est. Ex aoristis, qui reduplicationem illi similem assumunt, velut ἤγαγον, unus, ἀκαχών (Th. 867) propterea memorabilis est, quod ei in codicibus accentus in penultima positus tribuitur; qua re haec sententia confirmari videtur, quae antea valuit, eiusmodi formas non veros esse aoristos sed praesentia. Quamquam viri docti inter se dissentiunt, utrum hic librorum auctoritas sequenda sit an accentus ita mutandus, ut analogiae non obnitatur.

c) De terminationibus.

Inter terminationes personales act. tantum eae quae sunt secundae et tertiae personae sing. singularia quaedam habent.

1) *Εἵβετο* Th. 910 *εἰλύφαζε* Sc. 275; *εὗρε* ib. 58.

2) *Ἕλκε* Sc. 158; *ἄμφεπε* Th. 696, *ἕποντο* Sc. 277.

Secundae enim pers. antiqua terminatione ampliore, quam in vulgari genere loquendi indicativi act. *οἶσθα ἶσθα* praebent, Homerus etiam in coniunctivo utitur in *ἐθέλῃσθα* et *πίῃσθα*; quorum alterum apud nostrum quoque deprehendimus, Op. 392. Item terminatio *ῃσι*, qua ille saepissime tertiam sing. coni. format, in Theog. et in Op. haud raro usurpatur[1]); in Sc. autem nusquam in conspectum venit. Elisionem haec terminatio semel patitur, Op. 268, ubi extat *ἐθέλῃσ'*, *ἐπιδέρκεται*. Goettlingius quidem hic mavult *ἐθέλῃ*; sed quum ab Homero quoque huius terminationis vocalis *ι* bis elidatur (Sc. 6, 132; 7, 281), non est, cur in *ἐθέλῃσ'* offendamus.

Plura de personarum terminationibus in pass. adnotanda sunt. Hic secunda pers. ind. et coni. vulgaria *ει* et *η* non amat; constanter enim terminationes solutae *εαι* et *ηαι* comparent[2]), excepto uno loco, Op. 340, ubi extat *ὠνῇ*; sed in hac forma contractio non sine causa admissa est, quum et omnino in verbum purum *ηαι* minus quadret et in *ὠνέομαι* metrum formam solutam non ferat. Etiam terminationem *ω* poeta nusquam adhibet; quamquam soluta quoque, *αο*, semel tantummodo legitur: *διεδάσσαο* Th. 544. Item in impf. et aor. II. med. *ου* nullum exemplum suppeditat, *εο* duo: *γένεο* Th. 657 et *ἐπελήθεο* Th. 560 (cf. supra pag. 30.). Ex his intelligitur secundae personae sing. ind. et coni. pass. terminationes a contractione abhorrere.

Prima persona plur. pass. pro vulgari *μεθα* nonnumquam praebet *μεσθα*: *ἐκγενόμεσθα* Th. 648, *μαρνώμεσθα* Sc. 110.

Tertia pers. plur. perf. et plusqpf. pass. interdum in *αται*, *ατο* formantur, et in verbis mutis et in verbo liquido, atque praeterea in *ἧμαι* et *κεῖμαι*[3]). In optativo, cuius tertiam plur. Homerus nonnumquam eodem modo format (velut *βιώατο*), apud nostrum *ατο* non invenitur.

Tertia plur. aor. pass. haud frequenter terminationem breviorem assumit, quae constat sola consona *ν* antecedente vocale brevi; habemus enim solum tria exempla, idque in Th.: *τράφεν* v. 144, *ἀπέσσυθεν* 183, *κατέσταθεν*. 674.

---

1) *Ἐθέλῃσι* Th. 430 432. 439. Op. 268. 668. 712; *ἔλθῃσι* fgm. 80, 10; *ῥέξῃσι* fgm. 185; *λάβῃσι* Th. 765. 773; *ᾖσι* Op. 294; *πιμπλῇσι* Op. 301 e Spohnii coniectura scriptum est pro vulg. *πίμπλησι*.

2) Hisce locis *εαι* usurpatur: Th. 655 *πιφάσκεαι*, Op. 310 *ἔσσεαι*, 401, *τεύξεαι*, 477, *ἴξεαι*, 478 *αὐγάσεαι*, 647 *βούλεαι*; atque *ηαι* Sc. 107 et Op. 632 *᾽αρηαι*, Sc. 121 et Op. 350 *δύνηαι*, Op. 468 *ἵκηαι*, 601 *κατάθηαι*, fgm. 178, 2 *εἰσαφίκηαι*.

3) Cf. *τετεύχατο* Th. 581, *κεκρύφαται* ib. 730 et. Op. 386; *ἑστάλαται* Sc. 288; *κείατο* ib. 175, *κέατο* ib. 241, *εἵαται* Th. 622.

Etiam in imperat. pass. secundae pers. terminatio plerumque soluta est[1]); bis autem contrahitur in *ευ*: *ἑλεῦ* Th. 549, *ἐργάζευ* Op. 299. 397. Terminatio *ω* in imperat. non usurpatur; unicum enim eiusmodi exemplum, in quo locum habere possit, exit in *ασο*: *ἵστασ'* Sc. 449.

Praeterea de solutione, quae est in terminationibus, commemorandum est, plusquamperfecti act. ex more epicorum et Ionum in *εα*, *εας*, *εε* exeuntis exempla Hesiodea proferri non posse. Infinitivi aor. II. act. in Th. et in Op. ubique habent terminationem contractam; sed si ex huiusmodi formis eas mittimus, quae metri causa solutionem non patiantur, velut *ἐνισπεῖν*, *ἐλθεῖν*, *ἀμφιβαλεῖν*, tantum *ἰδεῖν*, Th. 701, et *θανεῖν*, Op. 175. 687 restant, quae etiam altero modo formari possint. In Sc. in omnibus illis infinitivis[2]) reperitur *εειν*, excepto uno *ἰδεῖν*, v. 166. 318. — Futurum verborum liquidorum quod dicitur secundum terminationem contractam praebet in *ὀμεῖται*, Op. 194, solutam in *ἐρέω*, ibid. saepius. Futurum Atticum tantum semel cernitur, idque contractum: *τελεῖν* Op. 273. Etiam futurum Doricum, quod nusquam in usu est nisi Op. 503, terminationem contrahit: *ἐσσεῖται*.

Infinitivi act. haud raro in *μεναι* et *μεν* formantur, praecipue in Op., ubi propter multas fratris adhortationes saepe infinitivo locus erat. In Th. et in Op. terminatio *μεν* multo saepius invenitur quam altera *μεναι*, quae in Sc. illa frequentior est[3]). Huiusmodi infinitivi plerumque ad praesens aut ad aor. II. pertinent, ad perf. et ad aor. pass. tantum singuli, *παρεστάμεν* Th. 439, *μιγήμεναι* Th. 306; futuri sunt duo: *ἐξέμεν* Th. 394, *ἐπιβησέμεν* ib. 396. Verba contracta in *εω* et *αω* neque *μεν* neque *μεναι* assumunt; atque *ἀρώμεναι*, Op. 22, est unicum omnino exemplum in lingua graeca nobis traditum, quo verbum in *οω* desinens illa terminatione infinitivum formet. Ceterum hoc loco *ἀρώμεναι* in uno solo codice legitur, quum plerique *ἀρόμμεναι* exhibeant; sed quum exempla quae verba in *αω* et *εω* apud alios auctores praebent, excepto uno *ἀγινέμεναι* ubique ostendant longam vocalem copulativam, altera scriptura *ἀρώμεναι* maiorem habere probabilitatem videtur.

---

1) *Βάλλεο* Op. 107. 274, *ἐπιλήθεο* 275, *φυλάσσεο* 491, *φείδεο* 604, *ὑπαλεύεο* 760, *ἐνικάτθεο* 27. 627; *δύσεο* Sc. 108.

2) In Op. *μεναι* quater deprehendimus, *μεν* septies decies.

3) *Μαπέειν* Sc. 231. 304, *πραθέειν* 240, *πιέειν* 252, *λιπέειν* 332, *ἑλέειν* 337.

Terminationes iterativae *σκον*, *σκομην* verbis haud raro suffiguntur[1]). In iis, quae vulgarem flectendi rationem sequuntur, plerumque, sicut vulgo fieri solet, *σκον* et *σκομην* vocali *ε* cum stirpe coniunguntur; contra vocalem copulativam *α* pro *ε* asciscunt *ἀποκρύπτασκε* Th 157 et *ῥίπτασκε* Sc. 256. Ex verbis puris in *εω* hac terminatione duo utuntur, vocali copulativa *ε* servata: *φοβέεσκον* Sc. 162, *καλέεσκον* Th. 207; duorum autem verborum in *αω* exeuntium, quae apud Hesiodum illam assumunt, alterum vocali copulativa non est instructum, *σύλασκε* Sc. 480, alterum eodem modo hac caret, sed vocalem *α* in *αα* dilatat, *δρομάασκε* fgm. 221, 2, ubi Lobeckius aut *δρώμασκε* aut *δρομέεσκε* scribi vult. Th. v. 835 libri inter *ῥοίζασκε* et *ῥοΐζεσκε* fluctuant, de quibus viri docti in diversas sententias discedunt. *Ῥοίζεσκε* quidem a Buttmanno et a Lobeckio defenditur, quorum alter illam formam ex *ῥοιζήσασκε* contractam esse putat, alter, Lobeckius, verbum *ῥοιζάω* sumit; sed tamen iis assentiendum esse existimo, qui *ῥοΐζεσκε* praeferunt, quum hoc et plurimis codicibus confirmetur et analogiae minus repugnet (verba in *εω* etiam apud Homerum saepius vocalem copulativam *ε* omittunt). Quamquam Lennepius *ῥοίζασκε* pro antiqua scriptura habet propterea quod vero similius sit librarios solemnius *εσκε* pro insolentiore *ασκε* substituisse quam contra. Iterativa quae a verbis in *μι* desinentibus poeta formaverit, haec duo conspicimus: *ἔσκε* Op. 151 et *τίθεσκε* fgm. 96.

d) De verbis contractis.

1. In verbis quae in *εω* exeunt *εει* et *εε* in universum contractionem patiuntur. Tertia persona sing. praesentis in act. plerumque contrahitur, ubique in pass., praeterquam in Sc., ubi huiusmodi formarum (*φρονέει* v. 387, *χέει* 396) utraque vocales integras sibi servat; quod in *φρονέει* prope necessarium est, quum *φρονεῖ* propter positionem consonis *φρ* effectam in versum non quadret, nisi vox insequens a vocali incipit, ita ut ultima syllaba corripi possit. Omnino hac in contractione verborum rationes metricas magni esse momenti, etiam ex reliquis exemplis liquet. Eiusmodi enim verba in *εω*, in quibus penultima stirpis syllaba longa est, in tertia pers. sing. praes. act. terminationem contrahere solent, quippe quae soluta vocem reddat versui heroico raro aptam. Itaque in *ὀπηδεῖ*, *αἰνεῖ*, *ἐπαυ-*

1) *Ἔχεσκε* Th. 553; *τίεσκε* Sc. 9, *λύχεσκι* 232; *ζώεσκον* Op. 90. 133, *πλωΐζεσκε* 634; *φάνεσκε* fgm. 44, 3, *πελέσκετο* fgm. 44, 4, *ναίεσκε* 81, 2, *λάβεσκε* 96, *σινέσκετο* 221, 3.

ρεῖ contractionem ipse versus flagitat[1]). In imperf. act. vocales εε non coalescunt[2]), praeterquam in secunda pers. sing., cuius unicum exemplum Hesiodeum est ἐφόρεις Op. 38; quod autem duo illa imperf. pass. exempla, quae in Hesiodi carminibus extant, ἐξετελεῖτο Th. 1002 et ἐδονεῖτο Sc. 237, contractionem non omittunt, in metrica ratione positum est, quum aliter hexametro inseri non possint. Ceterum verba bisyllaba in praes. indic. tantum bis praebent formam contractam (ῥεῖ et νεῖ), in imperf. act. solam alteram usurpant. — Infinitivi praes. act., qui praeter unum ὑμνεῖν (Th. 33) omnes in Op. reperiuntur, ubique contractionem admittunt[3]), excepto uno προχέειν (Op. 596); contra in infin. praes. pass. tantum ea verba vocales εε contrahunt, in quibus formae solutae in hexametrum omnino non quadrent.

Eo vulgarem contractionis rationem nusquam sequitur, sed aut in *ευ* coalescit aut non contrahitur. In imperfectis act. solum in Sc. et fgm. 42, 3 obviis saepius, sicut apud Homerum, invenis formam solutam, cuius exempla sunt ἐθύνεον (ter), τρέον, ῥέον, ἐτρώπεον, ἔρρεον; contractam legimus quater: ἐφόρευν (bis), ἤρευν, ἀΰτευν (Homerus bis in huiusmodi imperfectis εο in ου mutat, Il. 4, 308 et Od. 13, 78). — Participii praes. act. vocales εο in illis exemplis, quae in Sc. reperiuntur, [4]) a contractione abhorrent; in Op. quoque forma soluta nonnumquam in usum venit, rarius contracta; [5]) in Th. tantum duo eiusmodi participia deprehendimus, eaque soluta: ῥέοντες et φρονέοντα. — In passivo, quod apud Homerum vocalium εο contractionem saepiûs patitur quam activum, eius exempla non

1) Ex formis, in quibus metrica illa necessitas non valeat, in Th. contractionem admittunt ῥεῖ, κρατεῖ, πωλεῖται, aspernantur ῥέει (ter) et προρρέει; in Op. alterius generis sunt φιλεῖ, νεῖ, ποιεῖται, alterius κοτέει, φθονέει, χέει, φιλέει. His ex fgmm. addenda sunt δέει, φιλεῖ, προχέει.

2) Cf. in Th. ἔζεε (bis), ἤχεε, τρέε, v. 850, per synizesin proferendum in Sc. τρείτην, θέε, ῥέε; ex fgm. ὤκεε (216), θέε (221).

3) Omnium dimidium pertinet ad verba quae in versu heroico altera forma, soluta, uti non possint.

4) Φρονέοντε, θεόντων, κοτεόντων, κοτέοντε, κοτέοντες, ἐπικροτέοντα.

5) Cf. φιλέοντα (bis), κλονέοντος. προρρεόντων; νοεῦντες, πλουτεῦντα (πλουτέοντα a numero dactyl. alienum est, sicut altera ex parte πολυφραδεῦντα, pro quo πολυφραδέοντα est fgm. 210.

frequentiora sunt quam ea quae ostendunt solutionem; [1]) potius illa tantum in eiusmodi formis comparet, in quibus propter versum prorsus necessaria sit.

Etiam *εου*, quod modo contrahitur, modo integrum servatur, excepto uno *τελεῦσι* (Th. 89) mutationem tantum in eiusmodi verbis subit, quae soluta hexametro omnino accommodari non possint. [2]) Ibique semper in diphthongum *ευ* transit; alteram enim contrahendi rationem, qua Homerus quoque bis tantummodo usus est, nusquam reperimus nisi fgm. 132, 2 (*θρηνοῦσιν*).

Εω plerumque contractionem negligit. Atque in Th. forma soluta sola regnat, in Sc. nihil invenitur nisi *κοτέων* (v. 454); contra in Op., ubi solutorum exemplorum (*ἀρεμέωσι* v. 539, *νοέων* v. 286) alterum, *νοέων*, per synizesin legendum est, vocales bis coalescunt: in *ἀμελῶσι* (v. 400) et *ποιῶν* (v. 746). — Reliquae vocalium coniunctiones *εη*, *εῃ*, *εοι*, quibus in verbo Th. et Sc. plane carent, in Op. pro ratione saepe mutantur; quod in Homeri carminibus aut numquam fit aut raro. *Εη* enim et *εοι* contrahuntur; [3]) *εῃ* bis cernimus solutum (*νοέῃ* v. 296, *φιλέῃ* v. 300), contractum autem in tribus verbis quae soluta poeta in hexametro usurpare non possit. [4])

Verborum in *εω* haud pauca ubi versus postulat pro *ε* diphthongum *ει* assumere solent; quorum ex numero tantum ea commemorem, quae Hesiodo propria in Homeri carminibus non in conspectum veniunt: *χείω* Th. 83, *οἰκείω* ib. 330, *ὑμνείω* Op. 2, *ῥείω* fgm. 237.

2. Verba in *αω* desinentia contractionem multo magis amant quam ea quae modo tractavi. Nam quum eius exempla hic tam frequentia sint, ut singula enumerare longum sit, altera ex parte perpauca verba vocales solutas tenent, [5]) eaque omnia

---

3) Cf. in Th. *δατέονται*, *ποτέοντο*, *ὀρχεῦνται*; in Sc. *ἐκλονέοντο*, *κατηωρεῦντο*, *ἀτηωρεῦντο*; in Op. *καλέονται* (bis) et *αἱρεύμενον*.

1) Plurima eorum verborum quae huc referenda sunt, ad Th. pertinent: *εἰρεῦσαι*, *ὁμηρεῦσαι*, *ὑμνεῦσαι* (ter), *ὑμνεῦσι*, *ὑμνεύσαις*, *τελεῦσι*, *πιμπλεῦσαι*, atque *καλέουσι* (ter), *κλονέουσι*, *στυγέουσι* (bis), *κοτέουσα*, *πνέουσαν*; ex Sc. habemus *ἀραβεῦσαι*; ex Op. *φρονεουσι*, *στυγέουσι*, *ἀνθεῦσιν*.

3) Cf. *ἀρνῆται* Op. 408, *ἠγῆτ'* 712, *γαμοῖτο* 698.

4) In *ὠνῇ* 341, *λυπῇς* 401, *αἰτῇς* 408.

5) Cf. *βριάει* Th. 447, Op. 5, *βριάοντα* Op. 5, *ναιετάει* Th. 775; *ναιετάουσι* ib. 564. 592. 816. Op. 389, *ναιετάοντες* Th. 621. *ἰχθυάοντες* Sc. 210.

praeter unum *βριάω* sunt eiusmodi, ut illae formae solutae, quas praebent, iam non idoneae essent poetae epico, si contractione afficerentur; atque etiam *βριάω* propter positionem, quam consonae *βρ* efficiunt, contractioni minus favet. — Vocales, quae contractione exortae sunt, secundum epicorum morem interdum hoc modo dilatantur, ut iis eiusdem generis vocalis brevis anteponatur. Cuius rei pro ratione plurima exempla ad Sc. pertinent, perpauca ad Opera. Plerumque autem huiusmodi amplificationem conspicimus, qua *ο* ante vocalem *ω* inseritur; [1]) vocalis *ᾱ* in *αα* dilatatae tantum duo exempla certa reperiuntur: *ἐξελάων* Th. 491, *ἀμάων* Op. 392, quum de explicatione formarum *μηχανάαται* (Op. 241) et *ἄαται* (Sc. 101) viri docti in magna sint varietate et dissensione. — Etiam vocalis *ῳ* ex *αοι* ortae dilatatio in *ωοι* ab Hesiodo non aliena est; legimus enim *ἠβώοι* Op. 698 (nonnulli codices etiam *ἠβώῃ* praebent).

3. Verba in *οω*, quae omnino rara sunt, in Th. nullum exemplum suppeditant nisi *ἐστεφάνωται*. In reliquis formis apud Hesiodum obviis plerumque contractio comparet; [2]) vocalis amplificatio modo bis admittitur, in *ἐπικυρτώοντε* Sc. 234 et *ἀρόων*, quod sine dubio minus apte pro simplici forma non contracta haberetur, quum etiam apud Homerum verba in *οω* vocales aut contrahere aut dilatare soleant. Unica enim forma soluta quam Hesiodus usurpat, *ἀρόῃς* Op. 179 non omnium codicum auctoritate confirmatur; Hermannus quidem mavult scripturam *ἀρόῳς*.

e) Verba in *μι* exeuntia.

Τίθημι, *ἵστημι*, *δίδωμι*, similia.

1. Activum. In praesentis indicativo unicum primae pers. sing. exemplum *αἴνημι*, Op. 683, propterea memorabile est, quod haec forma pro vulgari *αἰνέω* posita Hesiodo propria est. Secunda quidem eiusdem modi persona nusquam in usum venit, sed tertia eo frequentius invenitur, praecipue in Op. Atque quum pleraque eius exemplа vulgarem illorum verborum forma-

---

1) Quinquies in Th.: *ἑδριόωνται* Th. 388; *δερκιόωνται* ib. 911, *εἰλυφόωντες* 692, *λαμπετόωντα* 110. 382; septies in Sc.: *κυδιόων* v, 27, *γλαυκιόων* 430, *μαστιόων* 431, *μαστιχόωντι* 389, *λαμπετόωντι* 390, *ἀναφυσιόωντες* 211, *γελόωντες* 283; semel in Op., *μιλιόωντες* Op. 530.

2) Cf. *ζηλοῖ* Op. 23, *μαυροῦσι* 325, *ἀροῦν* 429, *χολούμενος* 138. *ἰσοῦσθαι* 562.

tionem sequantur, [1]) nonnulla in verborum purorum flexionem transeunt: *διδοῖ* Op. 281, quod a verbo *διδόω* derivandum est et ab Homero interdum, ab Herodoto plerumque pro vulgari *δίδωσι* usurpatur, *πιλνᾷ* Op. 510, *δεικνύει* ibid. 451. Verbum *δείκνυμι* etiam alia tertiae personae forma utitur a consuetudine sermonis prorsus aliena, *δείκνυ* Op. 526, quod Hermannus quidem imperfectum esse statuit sed tamen melius cum Goettlingio pro praesenti accipi videtur, quum illo loco praesens postuletur, imperfectum vix quadret. — Pluralis ind. praes. solum tertiae personae exempla praebet; [2]) quorum unum, quod legimus Th. 875, accuratius tractandum est. Hic enim Goettlingius nonnullorum codicum scripturis *ἀεῖσι* et *ἄησι* tertiam *ἄεισι* (quod iam in Etym. Magno Aeolicum dicitur) praetulit et in textum recepit; sed quum Buttmannus eam cum *πάρεισι* comparet atque ab *ἀεῖσι* hoc modo profectam esse existimet, ut huius accentu retracto vox vulgari tertiae personae plur. formae similis reddita sit, Goettlingius aut Hesiodum pronuntiasse *ἀεῖσι* putat, aut *ἄεισι* Aeolicam esse formam pro *ἄησι*, quia poeta in eiusmodi formarum accentu nusquam cum vulgari usu differat. Sed hoc loco verbi in numero sing. positi cum substantivo plurali coniunctio nimis offendere videtur, quippe quae tantum sub certis conditionibus concessa sit. Quod vero scholia Townl. legisse videntur *ἄλλοτε δ'ἄλλη ἄεισι*, mihi non tanti momenti esse videtur ut contra codicum auctoritatem illa vox mutari debeat, praesertim quum eiusmodi emendationi hoc fortasse repugnet, quod et ante haec verba et post ea ubique extant pluralia; atque si *ἄεισι* nullo modo pro tertia pers. pl. accipi posse satis constaret, haud scio an potius ad alteram codicum scripturam *ἀεῖσι* confugiendum esset quam ad loci mutationem.

In imperf. sola tertia pers. sing. et plur. reperitur, et quidem utraque modo semel: altera Th. 563, *ἐδίδου*, altera Op. 139, ubi alii codices exhibent *ἐδίδουν*, alii *ἐδίδων*; illud a Goettlingio receptum nihil nisi primam pers. sing. significare potest, hoc, *ἐδίδων*, a poetis epicis pro tertia plur. usurpatum esse non satis constat. Quae difficultates tolluntur, si, ut propositum est, ad analogiam formarum correptarum *δίδον*, *ἐδίδον*

1) Cf. *τίθησι* Op. 518. 581, *δίδωσι* 638, *ὀνίνησιν* 318, *πίμπλησι* 411, *ἄησι* 516. 552, *διάησι* 517. 519; *ὀνίνησι* Th. 429 et 436; *ἐμπίμπλησι* fgm. 173, 2 (pro *πίμπλησι* Op. 301 Spohnius coniunctivum *πιμπλῇσι* restituit).

2) *Τιθεῖσι* Th. 597, Op. 210, fgm. 210, *διασκιδνᾶσι* Th. 875, *διδοῦσιν* Th. 299. 905, Op. 225; de Th. 875 vid. infra.

pro *δίδοσαν*, *ἐδίδοσαν*, *ἴεν* pro *ἴσαν*, quae in Homeri carminibus comparent, nostro loco scribimus *ἐδίδον*. Apud ipsum Hesiodum duorum exemplorum, quae tertia pl. aor. II. suppeditat, alterum habet formam ampliorem, *ἔδοσαν* Th. 141, alterum breviorem, *ἔδον* Th. 30. Ab indic. aor. II. praeterea nihil invenimus nisi *ἔθεσαν* Op. 74. 656, suspectam formam *θέσσαν* in loco corrupto, fgm. 93, 7, *ὑπέστη* Th. 402, *ἔστη* Sc. 361, 434.

De praesentis et aor. II. reliquis modis fere haec commemoranda sunt. Formae quae vocalem solutam habeant, velut Homerica *στέωμεν*, *θέωμεν*, nusquam cernuntur; huiusmodi vero productionis, qua *ε* in *ει* mutatur, unum exemplum extat, *θείῃ* Op. 556. Aoristi *ἔδων* coniunctivum et vulgarem conspicis et amplificatum: *δῷ* Op. 354 (bis), *ἀποδώωσι* Th. 222. Praeterea autem nulla omnino illorum coniunctivorum forma afferri potest, nisi *πιμπλῇσι* Op. 301, de quo iam supra dictum est (p. 76). — Optativi, qui non valde frequentantur, tantum in Op. leguntur: *τιθείη* v. 470, *δοίη* 357, *δοῖεν* 188; pluralis igitur forma ampliore, velut *σταίησαν*, etiam apud Homerum perrara, carmina prorsus carent. — Imperat. perpaucos habemus: *δός* Op. 453, et *δότε* Th. 104, et tertium quod alteram flectendi rationem sequitur, *δείκνυε* Op. 502. — Infinitivi qui praeter unum omnes ad Op. pertinent, modo terminationem vulgarem assumunt[1]), modo terminationem *μεν*[2]). — Participia tam rara sunt, ut non longum sit, singula enumerare: *τιθείς* Sc. 385, Op. 797, *ἀέντων* Th. 869, Op. 625, *βιβάς* Sc. 323, *ἐπιθείς* Op. 697; *πιμπλεῦσαι* denique (Th. 880) quod in verborum contractorum coniugationem transit, etiam propterea notatu dignum est, quod non verborum in *αω* sed illorum in *εω* flexionem sequitur, quamvis in *πιμπλάναι* vocalis primigenia *α* est

In perfecto et plusquampf. ubicunque formationi breviori locus est, Hesiodus constanter hac sola utitur[3]). *Τέθεικε* quod Th. 974 in duobus codicibus scriptum est, librarii errori tribuendum est, quum illo loco nullo modo in versum quadret; ab Homeri quoque dialecto illa forma aliena est.

---

1) *Ἀποδοῦναι* Op. 349, *θεῖναι* 815, *δοῦναι* fgm. 172, 2.

1) *Τιθέμεν* Op. 744, *θέμεν* 61. 67, *δόμεν* 354 (bis).

3) Reperimus *ἔστηκεν* Th. 745, *ἑστᾶσιν* 769, *παρεστάμεν* 439, *ἑστηώς* 519. 747 (utroque loco unus codex exhibet *ἑστειώς*), *ἑσταότ'* Sc. 61; *εἰστήκει* ib. 264. 269, *ἔστασαν* 191. 196, *ἐφέστασαν* 258.

Aoristi I. τίθημι et δίδωμι sicut apud Homerum solum indicativum praebent atque in plurali tantum tertiam personam; hae autem formae valde frequentantur. Verbi ἵστημι aor. I. nusquam in conspectum venit, quum Homerus non solum eius indicativum sed etiam alios modos usurpet. Verbi πίμπρημι aoristum ἔπρεσε (Th. 856), cui Hermannus alteram scripturam ἔπρεε praefert, Goettlingius in iis Aeolicae dialecti exemplis habendum esse putat, in quibus η breve sit, ut τύπτομη. Sed huius sententiae duae res obstant. Primum enim Boeoti quidem quum ubique pro αι ponere solerent η, etiam τύπτομη dicebant accentu in antepenultima servato[1]), sed tamen in huiusmodi formis vocalem η brevem esse dici non potest; nam sicut in τύπτομαι diphthongus non pro brevi habenda est, quum modo accentum in antepenultimam retrahi permittat, metrica autem ratione pro longa valeat, sic etiam in τύπτομη etiamsi accentus retrahatur nihilo minus vocalis η longa est. Deinde non negligendum est, illam diphthongi αι itemque apud Boeotos vocalis η proprietatem ad accentum pertinentem nonnisi in terminationibus comparere. Itaque in media voce vocalem η brevem esse nequaquam sumi potest.

Futuri nonnulla habemus exempla, velut δώσω Op. 57, δώσουσι ib. 178, ἐπιδώσω ib. 396, στήσειν Sc. 114.

Passivum et medium. Indicativi praes. et imperf. formae haud rarae sunt[2]), sed nihil in iis est quod sit commemoratione dignum, nisi quod omnes tertiae pers. sing. et plural. sunt. — Indicativus aor. II. med., quem solummodo τίθημι offert, praecipue in Th. apparet[3]); in reliquis carminibus legimus tantum ἔθεντο (Sc. 261. 411, Op. 512). Indicativi aor. I. med. duo exempla extant, eaque item ad verbum τίθημι pertinent: θήκατο Sc. 128 et ὑπεθήκατο Th. 175. Indicativus aor. pass. semel reperitur, κατέσταθεν Th. 674. — In illorum igitur temporum indicativo secunda pers. sing. nusquam in usu est; contra duae illae coniunctivi formae, quas apud Hesiodum invenis, secundae pers. sing. sunt: δύνηαι Sc. 121, et κατάθηαι Op. 601. — De optativo, quem nonnumquam cerni-

---

1) Cf. Ahrens. de dial. Aeol. p. 186.

2) Cf. δάμνανται Th. 122, ὤρνυτο ib. 191, πίλνατο 703; πίμπλαται Sc. 429, ῥήγνυνται 377, ἐκαίνυτο 4, ἄητο 8, alia id g., δύνανται Op. 215, ἀποτίνυται 247, alia.

3) Cf. θέτο Th. 886. 937. 953, ἐγκάτθετο 487. 890. 899., ἔθεντο 805.

mus[1]), nihil est notandum. — Imperativi rarissimi sunt; nihil enim reperitur nisi *ἵστασο* Sc. 449, *ἐνικάτθεο* Op. 27. 627. Infinitivi vero, qui tantum in Op. obvii sunt[2]), et participia multo saepius usurpantur.

Iterativa terminatione *σκον* in illis verbis poeta semel utitur, cf. supra p. 83.

Restat ut eas verborum *ἵστημι*, *τίθημι*, *δίδωμι* formas Hesiodeas enumerem, quae ab alterius poetae epici dialecto alienae sint. Quae maximam partem in Op. extant; sunt enim hae: *τιθείη* Op. 470, *τιθέμεν* ib. 744, *τίθεσθαι* ib. 672. 689, *τίθεσκε* fgm. 96, *κατάθηαι* Op. 601, *καταθεῖο* Op. 45. 361; *ἑστηώς* Th. 519, *εἱστήκει* Sc. 264. 269, *στήσαιτο* Op. 779, *κατέσταθεν* Th. 674; *ἐδίδουν(-ον?)* Op. 139, *ἔδον* Th. 30, *δῷ* Op. 354 (bis), *ἔδωκαν* ib. 92, *δῶκαν* ib. 741. 504.

Ἴημι.

Quum hoc verbum omnino non valde frequentetur, apte omnia exempla in tabula congeri possunt.

	Act.	Praes.	Med.
Ind.	3. *ἵησι* Th. 806.		
Part.	*ἰεῖσαι* Th. 10. 43. 65. 67. *ἰεῖσαι* Th. 830.		. . . . *ἱέμενοι* Sc. 23. 196. 304; *ἱέμεναι* Sc. 231; *ἱεμένων* Sc. 65. 169.
Inf.	*ἱέμεν* Op. 596, *συνιέμεν* Th. 861.		
		Imperf.	
	3. *ἵει* fgm. 4.	3. *ἵεσαν* Th. 684. Sc. 278. *ἐφίεσαν* Sc. 307.	3. *ἵεντο* Sc. 251.
		Iterat.	
	3. *ἀνίεσκε* Th. 157.		
		Aor. I.	
	3. *ἧκε* Th. 669. Sc. 243. *ἀνέηκε* Th. 495.		
		Futurum.	
	1. *μεθήσω* Op. 209.		

Infinitivus praes. igitur neque vulgarem formam *ἱέναι* praebet neque ampliorem *ἱέμεναι*, quam Homerus praeter breviorem *ἱέμεν* usurpat; itemque aoristum II. ab illo satis frequentatum nusquam deprehendimus. Iterativum, quo alterius epici carmina ni fallor prorsus carent, et *ἀνίεσκε* scribitur et *ἀνίησκε*; atque Goettlingius etiamsi illam scripturam in textum receperit, tamen non multum abesse dicit, quin defendat alteram, antiquum

1) Cf. *δύναιο* fgm. 169, 4, *καταθεῖο* Op. 45. 361, *στήσαιτο* 779, *ἀπόλοιτο* 46. 348.

2) Legimus *τίθεσθαι* Op. 672. 689, *δίζεσθαι* 603, *τίνυσθαι* 710, *πήγνυσθαι* 809, *θέσθαι* saepius, *ἀποθέσθαι* 762.

ἀνίησχε, quum Dorico epico duplicem vocalem ε in ἀνιέεσχε contrahere licuerit, siquidem licuerit ex καλέω formare verbum κικλήσκω. Sed tamen alterum quoque, ἀνίεσχε, bene defendi potest, quum etiam Homerus in verborum contractorum iterativis vocalem ε nonnumquam eiiciat, velut in κάλεσχε, οἴχνεσχε aliis id gen. (Lennepius cum ἀνίεσχε comparat μεθίεσχεν apud Apoll. Rhod. III, 274). — In iis verbi ἵημι formis, quae ab ipsa vocali ι inchoant, codices plerumque fluctuant inter spiritum asperum et spir. lenem. Nam Th. 684. 523. 169 et Op. 596 nonnulli exhibent spiritum lenem; etiam Th. 806 (ubi pro vulgato τόδε quod in hunc locum non quadrat, Gottlingius et Lennep. receperunt τό τε aliis codicibus confirmatum) formam ἵησι nonnulli libri tradunt spiritu leni instructam, atque Th. 830 scripturae ὀφ' ἱεῖσαι uno codice sustentatae cum iisdem editoribus haud dubie ὀπ' ἰεῖσαι praeferendum est; hanc enim litterae tenuis permutationem in aspiratam, quae in ὀφ' ἱεῖσαι sumenda esset, in consonis π et κ apud Homerum et Hesiodum non ubique pari modo concessam esse Mützellius accuratius demonstrat (de emend. Theog. p. 137).

Εἰμί.

Ex indic. praes. formis singul. tantum ἐστί invenimus, idque saepissime; etiam pluralis omnia exempla excepto uno εἰμέν (Sc. 351) eiusdem personae sunt, et quidem praebent et ἔασι et εἰσί praecipue in Op. usitatum. Modi huius verbi non frequenter in usum venerunt; habemus enim ex coniunct. ᾖσι Op. 294 (εἴῃς, εἴῃ in Hesiodeis carminibus non legimus; quamquam Hermannus Op. 501. 577. 606 pro optat. εἴη omnium codicum auctoritate confirmato coni. εἴῃ scribi vult), ex Opt. εἴην ibid. 271, εἴη saepius, ex imperat. ἔστω ibid. 306. 370. Inter varias infinitivi formas ἔμεν extat solum Th. 500, ἐμμεναι saepius[1]), εἶναι autem in Op. prope solum regnat[2]). Participium valde usitatum ubique sicut apud Homerum ἐών sonat.

Imperf. prima pers. et sing. et plur. plane deest, in secunda sing. et ἦσθα apparet (Sc. 119) et ἔησθα (Op. 314); tertia in omnibus carminibus ἦεν et ἦν praebet, ἦεν in solo Sc. (v. 15. 22). Etiam dualis semel spectatur: ἤστην Sc. 50. In plur. modo tertia extat, eaque et ἔσαν sonat et ἦσαν[3]).

---

1) Cf. Th. 500. 610, Op. 272, fgm. 77, 2 et 205.

2) Op. 365. 616. 641. 706. 722; praeterea Th. 401, fgm. 80, 6.

3) Ἔσαν Th. 586. 829. Sc. 161. 168. 245. 246, fgm. 93, 4 et 187; ἦσαν Th. 142. 145. 147. Sc. 20. Op. 111; ὑπῆσαν Sc. 266.

Ἔσχε habemus Op. 151. — Ceterum quomodo imperf. *ἦν* Th. 321 et 825 accipiendum sit, viri docti inter se dissentiunt. Goettlingius illud pro plurali habet et ad analogiam aoristi pass. exeuntis in simplicem consonam *ν* pro *σαν* formatum esse putat, ita ut derivandum sit a correpta forma *ἔεν* pro *ἔησαν* posita. Melius duos illos locos ii explicare videntur, qui *ἦν* vulgarem formam singul. esse existimant et ex more Boeotorum praecipue apud Pindarum conspicuo singularem verbi numerum cum substantivo plurali esse coniunctum. Qua in re haud parvi momenti esse videtur, quod in omnibus huiusmodi locis verbum antecedit. Hoc in illis numeri sing. cum plur. coniunctionibus certo non casu quodam accidit; efficit enim, ut constructione vulgari consuetudini prorsus repugnante minus offendamur. Contra si *ἦν* cum Goettlingio pro vero plurali accipimus, recte opponi potest, mirum sane esse, quod haec pluralis forma nusquam substantivum subsequitur. Atque in aliis huius liberioris structurae exemplis manifesto in numero sing. verbum positum est, velut ibi, ubi non verbi *εἰμί* imperfectum sed *γίγνεσθαι* aut alia verba illo modo usurpantur.

Indic. futuri exempla omnia ad Op. pertinent. Atque secunda persona *ἔσσαι* comparet v. 310; tertia praebet et *ἔσσεται* et *ἔσται* saepius (horum utrumque quater cernimus), *ἐσσεῖται* autem tantum v. 403. Praeterea in conspectum venit infin. *ἔσεσθαι*, Th. 210, et nonnumquam participium[1]).

Εἶμι.

Verbi *εἶμι* hae formae extant:

Praes. Ind. 2, *εἶς* Op. 208.	3. *εἶσ᾽* Th. 972.	3. *ἴτον* Op. 199.
Opt.	3. *εἴη* Op. 617.	
Part. saepissime.		
Imp. *ἴθι* Op. 493.		
Inf. *ἰέναι* Sc. 40. 353.		
Impf.	3. *ἦν* (?) fgm. 192. *κατεῖεν* Sc. 254.	
	3. *ἴσαν* Th. 68, *ξύνισαν* Th. 686, *σύνισαν* Sc. 383, *ἤϊσαν* Sc. 170.	
Adi. verb. *ἐξίτόν* Th. 732.		

Imperfecti igitur sing. formas *ἴες*, *ἴεν* Homero usitatas poeta non adhibet; medium autem omnino deest. Op. 199 pro *ἴτον* varia lectio est impf. *ἴτην*; sed quum totius loci sensus futuram significationem flagitet, *ἴτον* praeferendum est. — Lehrsio, qui formam *εἴην* Op. 617 pro optativo huius verbi habet, Goettlingius propterea non assentitur, quod certum optativi *εἴην* ab

1) Cf. Th. 32. 38. Op. 56.

εἶμι derivandi exemplum non inveniatur; sed apud Homerum Il. 24, 139 εἴῃ melius verbo εἶμι tribui, Od. 14, 496 autem eandem formam procul dubio pro optativo verbi εἶμι esse habendam, Buttmannus copiosius exposuit, Gramm. ub. I. p. 541. — Infinitivum προσεῖναι (Op. 353) viri docti diverso modo explicant, quum omnino verba καὶ τῷ προσιόντι προσεῖναι non omnes eadem ratione interpretentur. Vossius sub iis sententiam subiicit illi prorsus contrariam, quam in Passovii lex. Gr. praebent. Vossii autem interpretationem ad verum propius accedere existimo. Haud dubie quidem ἰέναι in hunc locum optime quadraret propter sermonis aequalitatem; sed tamen infin. forma εἶναι apud antiquum poetam epicum nimis offenderet. Neque vero προσεῖναι si secundum consuetudinem vulgarem ad verbum εἰμί refertur, apto sensu caret; tum enim ita interpretandum est, ut magis in significationem „adiuvare“ transeat. Quae sub verbo πρόσειμι, ab εἰμί derivando certo facilius subiici potest quam altera „locum tenere, ingredi“ in Passovii lex. ei tributa. Apollonii autem verba a Goettlingio laudata magis ad hunc significatum verbi εἶναι quam ad formam spectare Bredovius (de dial. Herod. p. 410) recte contendere mihi videtur; qui etiam aequalitatem membrorum potius in repetita praepositione πρός et in similitudine utriusque verbi positam esse putat. — Etiam de tertia pers. sing. imperf. κατεῖεν, quae in omnibus codicibus legitur, magna est dissensio; Buttmannus eam pro κατῄϊε poni et simplicem formae ἴεν amplificationem esse contendit, Goettlingius in ea perfecti εἶα tertiam personam agnosci putat. — Ceterum ex omnibus illis verbi εἶμι formis modo una ab Homeri dialecto aliena est: dualis ἴτον; ἐξιτόν autem fortasse unicum adiectivi verb. ἰτός exemplum est, quod omnino extet (cf. Buttmann. gr. ub. I. p. 534).

THESES.

I.

Propert. eleg. I, 2, 9 scripturam „quos“ tenendam esse.

II.

Sophocl. Ai. v. 221 *ἀνδρὸς ἀΐθοπος* esse defendendum.

III.

Tiberium iniuria omnis humanitatis expertem dici.

IV.

Catull. 64, 368 Rossbachii coniecturam „mutescent“ comprobandam esse.